Ex dono Cl: Auctoris

ACTA SINCERA
SANCTI MAXIMI
MARTYRIS CUMANI

ACTA SINCERA

SANCTI MAXIMI

MART. CUMANI

EX MEMBRANIS ANTIQUIS

PRIMUS VULGAVIT

ET PERPETUO COMMENTARIO INLUSTRAVIT

F. ALOISIUS VINC. CASSITTUS

ORDINIS PRÆDICATORUM

S. Theol. Antecessor, ejusdemque in Regia Universitate Neapol. Mag.



ROMÆ cIↄ Iↄ ccc.

EX OFFICINA SALOMONIANA

AUCTORITATE PUBLICA

Quis modus aut quae satietas Martyrum memoriam prosequendi erit illi praesertim qui eorum amore et caritate magnopere tenetur?

S. Basil. M. Homil. xx.

EMINENTISSIMO · DOMINO

LVDOVICO · S · R · E · CARD · FLANGINO

OBSEQVENTIS · CLIENTELAE

MNEMOSYNON

ALOISIVS · VINC · CASSITTVS

L · M · D · D · D

MAGNVM · MAGNA · DECENT · FLANGINO · MAXIMA · DONA

MITTIMVS · EVBOICI · FORTIA · GESTA · VIRI

QVANTVS · HOMO · QVI · HOMINES · NON · DEDIGNATVR · AMICOS

QVANTVS · CVI · NIHIL · EST · PVRPVRA · GAZA · GENVS

A ☧ Ω

BEATISSIME · MAXIME · SI · EGO · PIVM
VII · NVPER · PONT · MAX · INAVGVRA
TVM · DEO · DIGNVM · VIRVM · ET · BO
NO · ECCL · CATH · NATVM · ET · CVM
EO . LVDOVICVM . FLANGINVM · CETE
ROSQ · PVRPVRATOS · PATRES · QVO
BREVI · TEMPORIS · INTERVALLO · HEIC
ROMAE · MANEO · REDEVNTES · CONSPE
XERO · PRO · HAC · FELICITATE · QVO
TANNIS · IIII · KAL · NOVEMBR · QVI · DIES
TIBI · TRIVMPHALIS · EVCHARISTICVM
SACR · RITE · FACIAM · AD · ARAM · MAXI
MAM · AEDIS · STEPHANIAE · SVB · QVA
RELIQVIAE · TVAE · QVIESCVNT · EXSPE
CTANTES · BEATAM · RESVRRECTIONEM.

ALOISIUS VINCENTIUS CASSITTUS

LECTORI BENEVOLO S.

Monumenta quædam Christianæ Religionis Historiam juvantia emittere in lucem propero. Incitavit me animique pendentem denique permovit VIR EMINENTISS. LUDOVICUS FLANGINUS S. R. E. CARDINALIS, moribus antiquis, doctrina multiiuga, rerumque usu, et prudentia nulli secundus, vere

præsidium, et dulce decus meum!

Ergo dum Christi Ecclesiam Tithanes Philosophi et Sophistæ evertere frustra adlaborant, magnus ille Cardinalis cælo demissus Ecclesiam summo studio, summis viribus, ope, consilio tuetur. De FLANGINIO loquutum putes Casp. Scioppium *Elem. Phil. Stoic. cap.* 147. *p.* 143. „ *In Ecclesiæ specula positus est Cardinalis, non solum ut deliberanti Pontifici consilium suum subjiciat, sed ut oculos in omnes totius Ecclesiæ partes circumferat. . quam ad rem necesse habet velo sublato homines admittere* „ Sane et velo sublato me admisit, et comitate singulari in *amicorum* album retulit, *amicum* salutavit, *amicum* fovet! Jam hoc titulo superbirem, nisi ab EMINENTISS. VIRI incomparabili humanitate profectum, et obsequio meo non bene aptum agnoscerem. Fateor nihilominus, necessitatem Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, sed et dignationem hujusmodi, jus-

sa etiam, et consilia CARDINALIS doctissimi nos ad Monumenta Ecclesiastica evulganda compellere. Speciminis loco nunc prodeunt Acta Sincera S. MAXIMI MARTYRIS CUMANI, quorum γνησιότητι vel Pyrrhonicus manus dederit victas. Acta haec proinde QUOVIS THESAURO CARIORA duco, ut pariter summus Vir Baronius de Actis genuinis MM. Scillitanorum pronunciavit, *ad Mrolog. Rom. 7. Jul.* Etenim, judice Cl. Ruinartio *Præf. ad Acta* §. 1. *n.* 1., *post Sacras Scripturas, nihil nobis sanctius atque antiquius esse debet, quam primigenia et genuina Martyrum Acta*. Non abludit Mazochius noster *Kalend. p.* 923. *n.* 27. „ *Antiqui Martyrum passionibus dignitatem libris Divinis prope parem tribuebant* „ Harum lectione mirum quantum solida morum, nec fucata sanctimonia, fortitudo etiam Christiana augeatur: Confessores Saec. tertio in exsilium pro fide missi præclara Acta Sancti Cypriani quotidie relegebant, ut ad passionem erudirentur. Ruinart, *Hist. Pers. Vandal. Part.* 2. *cap.* 8. §. 1. *p.* 239. Sed et nobis in pace Ecclesiæ Acta Martyrum incitamenta sunt ad pietatem. Josephi Scaligeri verba adscribo, ubi meminit Actorum S. Ignatii, necnon S. Polycarpi *in Animadv. Eusebian. p.* 202. *ad an.* 2183. „ *Certe ego nihil umquam in Historia Ecclesiastica vidi, a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar* „ Accedit quod Athleta noster Cumanus est: Martyrum

vero nostratium commemoratio jucundissima. Ad rem S. Basilius Magnus *in Orat. de S. Gordio tom. 1. homil. 19. §. 2.* „ *Fuit hic Martyr Beatissimus, civis noster Cæsariensis, ex quo non mirum si nostræ mentis adfectus ad eum potissimum dirigitur, quod profecto ad verum ac domesticum nobis facit ornamentum.... Longe gratiores externis* (fructibus) *sunt nostrates et vernaculi, qui nobis gloriam quamdam ob propinquitatem conferre præter jucunditatem videntur* „ Gemmam pulcherrimam, lector, palà ferrea inclusimus. De Prodromo deque Commentariolo nostro loquimur. Scripsi occupatissimus habendis Romæ sacris concionibus per ferias hasce esuriales, atque adlatis ex caussis manum de tabula abstinere non potui. Viros doctos enixe deprecor, ut Acta S. Maximi certatim sibi adornanda atque illustranda suscipiant. Fungi saltem mihi liceat

> ... *Vice cotis, acutum*
> *Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.*

Bene vale.

OPUSCULI CONSPECTUS.

De Præside Asclepium timente, de Cumana Asclepii tutela, et de ethnicorum in ipsos deos impietate. §. 26. Provocabant Martyres a mortali Judice ad Christum. §. 27. De PALATIO Diocletiani. §. 28. Vox Martyrum strenua ad judicem FAC QUOD VIS. §. 29. Decernit Præses cum consilio i. Adsessore et Participibus. §. 30. Præses dictat exceptori sententiam, et ex tabella recitat. §. 31. Expenditur sententia in S. Maximum dictata. BLASPHEMATOR vox ethnicis usurpata. §. 32. Martyres extra urbem in campo interfecti. §. 33. Martyres fixis genibus ad mortem se componunt. §. 34. De terræ motu post obitum S. Maximi. §. 35. De hymno, quem ethnici Christo referunt. §. 36. Integrum corpus RELIQUIARUM nomine probe designatum. §. 37. Quid proprie sit CONFESSOR DEI. §. 38. De agro Innocentii, vel innocenti. §. 39. De pompa Cumanorum procedentium ad inventionem Corporis Sancti Maximi. §. 40. De prisco ritu Martyrum corpora aromatibus condiendi. §. 41. Commentarioli breviarium.

Si videbitur Rmo P. Magistro Sacri Pal. Apostolici
F. X. Passari Archiep. Lariss. ac Vicesg.

Jussu Rmi P. Thomæ M. Mancini O. P. S. Th. M. et pro Soc. S. P. A. M. legi diligenter Commentarium in *Acta S. Maximi M.*, ex cujus lectione magnum voluptatis cepi fructum, quem ad alios etiam, si liber in vulgus edatur, perventurum, confido: Ita, quæ in bono scriptore ingenii, doctrinæ, eruditionis, diligentiæque partes sunt, iis omnibus auctor abunde, ut mihi quidem videtur, cumulateque satisfacit; tantumque abest, ut commentanti, et scribenti quidquam exciderit, quod quidem ipse adverterim, dogmatis, moribusque Catholicorum alienum, ut ad pietatem potius in animis lectorum inserendam, fovendamque, multum arbitrer ejuscemodi scriptionem profuturam. Nec vero aliud æquum fuit exspectare ab homine, florentis adhuc quidem ætatis, sed cui tamen persona imposita est gravis, atque antiqua, Evangelici præconis, cujus oratio, id quod omnes mihi, quicumque his proximis quadragenarii jejunii feriis de loco superiore dicentem audierunt assensuros puto, ita copiosa, explicata, elegans, et compta est, nihilo ut minus acris, incitata, vehemensque sit; et quod caput est, studio lucrandarum Deo animarum mire incensa, et quibusdam dictorum velut facibus auditores ad virtutem, Deique ipsius cultum, et religionem incendens. Ita censeo. Romæ xv. kal. Majas 1800.

Vitus Maria Giovenazzius.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Maria Mancini Ord. Præd. Sacræ Theol. Mag., ac S.P.A. Mag. Pro-Soc.

PRODROMUS

(I.) De Actis S. Maximi Cumani M., (II.) deque ejus die triumphali, (III.) & cultu.

CAPUT I.

De Actis Passionis S. Maximi.

§.1. S. Maximus Cumanus Martyr, quotquot omnium sub Diocletiano et Maximiano occubuerunt fortissimus, ipsa Constantini ætate coli cœptus xv. a passione anno, adeoque illustris ut Sanctæ Cathedrali Ecclesiæ Cumarum, nomen fecerit *Sancti Maximi*; dein post Cumarum eversionem anno 1207., corpore Neapolim translato, ac reposito sub ara maxima Basilicæ Cathedralis, Civitatem patrocinio fovet, beneficiis quotidie obstringit. Acta Passionis tam præclari Athletæ primigenia ac sincera semper desiderata sunt. Nunc ea primum ex Codice probatissimæ fidei vulganda curamus.

§.2. Codex ille ipse est, unde Octavius Cajetanus, Bartholomæus Chioccarellus, Tria, Sarnellius, immo et Socii Bollandiani plura deprompserunt monumenta elegantissima ad illustranda Acta Sanctorum. Passionarium continet S. Ecclesiæ Cathedralis Vibinatis in Apulia Daunia, ubi librum ipse tractavi, et quidquid ineditum reperi fidelissime descripsi mox emissurus in publicam lucis usuram, initio facto a S. Maximi Passione, quæ mihi pulcherrima visa est, lectuque dignissima. Atque ut nihil de Codice gloriosius prædicem,

satis duco indicare, hunc non nisi Sæculo XII. decurrente fuisse conscriptum. Ingens liber est membranaceus, prægrandibus literis affabre exaratus scriptura illa politiori Sæculi XI. ac XII., quæ ad Romanam recentiorem accedit. Porro, ut alia mittamus argumenta, Codicis nostri antiquitas vel inde patet quod Corpus S. Maximi Cumis requiescens ostendat. Atqui anno 1207. Cumæ fuerant eversæ, reliquiis Neapolim translatis. Scriptura igitur annum 1207. præcedat, necesse est. Mazochii peritissimi Polyhistoris judicium audi. *Vind. Actor. S. Jan. p. 86. not. 25.* „ *Annon posteriorum hujusmodi translationum narrationes adiungi in fine Actorum antique scriptorum omni tempore consueverunt?* „

§. 3. Acta S. Maximi bina habuit Julius Cæsar Capaccius, fusiora quædam literis Langobardicis, neque edidit: brevissima alia, quæ produxit ex veteri Capuano Breviario *Hist. Neap. lib. 2. cap.* 20. Acta eadem Langobardica vidit Antonius Caracciolus cum subiecta historia translationis, omnia attribuens Petro Ecclesiæ Neapolitanæ Subdiacono. *De Sacr. Eccl. Neap. Monum. cap.* 18. *sect.* 14. *p.* 173. Ughellius denique in *de Episcop. Cuman.* Acta commemorat S. Maximi, et fragmenta conferentibus apparebit non diversa fuisse a Langobardicis Capaccii, et Caraccioli. Atque ita statuo: nostra esse primigenia et coæva: hinc manasse contractiores Capuani Breviarii Lectiones Sæc. VIII, aut saltem IX. deinde ex primigeniis fusiora illa et obesiora Langobardica fluxisse sub initium Sæc. XIII, auctore Petro Subdiacono. Acerrimi vir judicii Mazochius experimento edoctus, monuit sapientissime in laudatis *Vindiciis p.* 136., genuina primum Acta statim a martyrio fuisse lucubrata; hinc breviora et contracta

ad ædificationem Ecclesiarum: postremis denique temporibus breviora ista rursus pinguefacta, quibusdam nebulonibus in speciem piis priorum breviloquentiam, incomptamque simplicitatem corrumpere gestientibus. Vide infra §.13. jucunda exempla hujusmodi corruptelarum. Historiam nos genuinam, et statim a martyrio compositam exhibemus.

§.4. Breviarii Capuanii lectiones prima et secunda totidem verbis ex 1. et 2. sectione Actorum nostrorum descriptæ sunt. Tertiæ Lectionis initium tertiæ sectioni Actorum respondet usque ad illa " *quæ non possunt* (idola) *liberare cultores suos*,, Mox Capuanus Hagiographus de suo addit " *Cumque ad hæc iratus Fabianus diversa diceret et audiret, jussit latera ejus plumbatis tundi, et eum inde in carcerem recludi. Post hæc, cum carbones ardentes, equuleum, suspendium inverso capite, lampades accensas, atque flagella Christi virtute superasset, et sacrificare nollet, novissime capite cæsus est* III. *Kal. Novemb.*,, Animadvertes commate illo DIVERSA DICERET ET AUDIRET Capuanum Notarium longiores interrogationes ac responsiones, quæ actis nostris continentur, strenue resecasse, ex quibus tamen textum narrationis in antecessum exscripserat, neque vero ex libello Petri Subdiaconi.

§.5. Hujus libelli initium publicavit Caracciolus *Mon.Eccl.Neap.cap.*10.*p.*129., finem vero et idem Caracciolus *cap.* 18.*p.* 168. et Ughellius exhibuerunt. Ea sunt hujusmodi.

" *Quidam Antonius totius calliditatis vir ab eis* (Augg.) *Urbi Præfectus tanta inhumanitate obduruit, ut circa domos, circa lymphas, et ut breviter dicam, circa omnem locum, ubi alicuius negotiationis mercimonium esse poterat, simulacra erigeret: nempe ut omnes*

qui illuc accederent, non emerent aut venderent aliquid, nisi prius sacrificassent. Et hæc non solum in Romulea Vrbe factitarunt, sed etiam per universum mundum transmissi sunt amentissimi homines, qui omne genus humanum tanto compellerent sacrilegio copulari. Ob id ergo et Cumas directus est quidam nomine Fabianus, obstinatissimus Christiani nominis inimicus. Qui cum venisset, et solium suæ jussisset præparari dementiæ, continuo ad se universum populum voce præconis fecit acciri. Mox illis veluti ad novum Præsidem confluentibus Tribunal ascendit, et facto silentio, sic exorsus est loqui: Audiat populus omnis: audiat parvus et magnus, quod invictissimi Imperatores vivificandi et mortificandi potestatem mihi tribuerunt, ut illum qui sacrificare contempserit diversis interficiam pœnis; illum vero qui decretis ipsorum obtemperaverit magnis ditem divitiis, magnisque sublimem honoribus. Accedat ergo unusquisque, et tura offerat, ne invitus cogatur perficere quod sponte recusat,, Desinit libellus ,, *Passus est autem Beatissimus Martyr III. Kal. Octobris, post cujus obitum, quindecim fere per annos, Christianorum infestatio mansit. Tum, ubi pax Christi Ecclesiæ restituta est, apparuit idem Martyr* .... Desunt cetera.

§. *6.* Sententiam nunc de lectionibus Capuanis et de Langobardica historia utcumque feremus, eruditorum tamen virorum judicio nostrum subjicientes. Statim in limine, mira est actorum simplicitas ubi decimam persequutionem ita describunt. *Facta est persequutio Christianorum*. Sed Capuanus Hagiographus glossema interponit. *Facta est* INGENS *persequutio Christianorum*. Noscas additamentum scriptoris aetate novitii. Similiter in actis sinceris S. Januarii habebatur ,, *Erat persequutio Christianorum* ,,. Sed et pari-

ter in sequioribus Actis Baronianis, quæ idcirco respuit Mazochius *Vindic. p. 16. n. 7.* legitur adjecto emblemate „ *Erat persequutio* INGENS *Christianorum* „. Hagiographus item Capuanus hoc S. Maximi proponit elogium „ *Vir Sanctus*, *Deo dignus*, *nomine Maximus*, GENERE CLARVS, *religione pius*, *et castitate pudicus* „. Contra in Actis nostris „. *Vir Sanctus*, *et Deo dignus*, *nomine Maximus*, *religione pudicus*, *et castitate firmus* „. Id est cum religione pudicus, et in castitate firmus. Egregie; nam quid sibi volunt Capuani logi „ *Religione pius*, *Castitate pudicus* „? Nec patior Capuanum Breviatorem CLARITATEM GENERIS pugili nostro adpinxisse, de qua ne verbum quidem in Actis repererat. De claritate quidem generis suspicio moveri potest ex Bajana inscriptione, in qua sub Diocletiano paucis ante Martyrium S. Maximi annis Decuriones Cumani Sacerdotem Magnæ Matris creant, et inter Decuriones MAXIMVS quidam comparet. Nec profecto Christianos a Decurionatu arceri potuisse et honoribus docet Ulpian. *L. 3. §. ult. D. de decur.* (Christiani enim inibi accipiendi *qui judaicam superstitionem sequuntur* cum Baluz. *ad Lactant*, *de mort. pers. cap. 3.* Alciato *Disp. lib. 3. cap. 8.* Antonio Augustino *ad Modestin. p. 331.* &c. Nefas tamen cogitare S. Maximum potuisse in ethnico negotio auctoritatem suam adscribere.

§.7. Ego vero ignotum de plebe hominem, licet coram Deo nobilissimum, S. Maximum fuisse arbitror. Nam Praeses, sive potius Consularis Fabianus audacia, immo virtute Martyris incitatus, his eum verbis interpellat *Sect. 3.* CVIVS CONDITIONIS ES, *ut ita respondeas*? Scil. Servus, an ingenuus? Exempla congeremus. In Actis S. Febroniae apud Mazoch. in

Kal. marm. sub die 25. Jun. „ *Lysimachus dixit. dic mihi adolescentula, cujus fortunae es, Ancilla, an libera ? Qua respondit* : Ancilla . *Et Lysimachus : cuius Ancilla ? At illa* , Christi , *inquit* . In Actis S. Symphoriani anno 180. p. *69*. §. 2. apud Ruinart. edit. Veronens. (qua utor , semel dico) „ *An hujus loci sit, edicat Officium . Ex Officio dictum est : Hinc est, et quidem nobilis familiæ* „ . In Actis SS. Luciani et Marciani an. 250. *p.* 142. §. *6*. „ *Proconsul Sabinus dixit : Quid genus es? Marcianus dixit* : Ingenuus . „ In Actis SS. Didymi et Theodoræ an.304. *p.* 352.§.1. „ *Iudex dixit : Cujus conditionis es? Theodora respondit* : Christiana sum . *Iudex dixit : Ingenua es , an Ancilla? Theodora respondit* : Jam tibi dixi, Christiana sum . „ In Actis S. Sereni an. 307. *p.* 433. §. 3. „ *Praeses : Quod genus tibi est ? At ille sine omni mora respondit* : Christianus sum „ In Actis S. Petri Balsami an. 311. *p.* 441. §. 1. „ *Praeses* (Severus) *dixit : Quod tibi genus est ? Petrus respondit* : Christianus sum . *Præses dixit : Quod officium geris? Petrus respondit* : Hoc maius officium habere non possum . Et quid esse potest hoc melius , quam ut sim Christianus? „ Ne longum faciam pete exempla adhuc pulcriora S. Luciani *p.* 445. §. 2. , et Beatissimi Sancti apud *Eusebium Hist. lib.* v. *cap.* 1. Liquet Præsides de conditione interrogasse Confessores plebeii generis , vel saltem ab officio de ipsorum loco fuisse edoctos : at Confessores Christi de genere et loco securos , in Cruce Domini nostri gloriam suam reposuisse . Idque etiam præstitit S. Maximus Cumanus dum Consulari Fabiano de conditione interroganti , strenue respondit „ *Hæc est conditio mea , ut idola manu facta respuam , et in Christum credam* „ .

§.8. Deinde & irrogata supplicia vilitatem generis S. Maximi arguunt. Plumbatis cæditur, quibus plebejós fuisse contusos ex Romanis legibus probat immortalis Card. Baronius *ad Martyrol. die 6. Junii*. Flagellis insuper subjicitur, atque haec *servilia verbera* dicuntur Callistrato *L. metallum D. de jure fisci*. Hinc *L.* 10. *D. de poen.* „ *Ex quibus caussis liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi jubetur* „ Quo fit ut Breviatorem Capuanum sine nota non dimittam, qui claritatem generis in S. Maximo commentus est. Nec minus reprehendo quod historiam prætermisit infantis, qui Religionem Christianam prodigiosa adseruit eloquentia. Parum scilicet fidei tam illustri miraculo accommodavit. Atqui fuisse verissimum in Commentario ostendemus §. 18.

§.9. Ad Historiam Langobardicam venio. Hanc sive Petrus Subdiaconus, sive quiscumque alius elucubravit, certe Acta nostra phaleratis dictionibus, et emblematiis incrustans, delevit omnem speciem antiquitatis. Nec tamen dum eruditior videri vult, imperitiam suam nobis occultat. Levitam enim S. Maximum fecit, attestantibus Capaccio et Caracciolo. Attamen relegens Acta primigenia discere potuerat nihil minus quam Levitam fuisse. Hic porro error Passionem prolixius contextam Petro Subdiacono adserere videtur: cum certe ab eodem profecta historia translationis S. Julianæ apud Capaccium *Lect. 6. p.* 276., nostrum hunc pugilem Levitico ordini accenseat. Vixit Petrus ineunte Sæculo XII; neque in praecedentis aetatis monumento ullo Cumanus Martyr Levita salutatur: immo et hoc ipso Sæc. XII, et IX. Martyr simpliciter dici consuevit absque honorifica adiectione, sicuti oportebat. Sic in vetustissimo Mar-

tyrologio Hieronymiano Antuerpiensi, sive Epternacensi ad diem 30. Octobris legitur MAXIM. M., quem Cumanum esse dies adpositus clamat. Siquidem et in Kalendario marmoreo Ecclesiæ Neapolitanæ Saeculo IX. scalpto, diei 30. Oct. subscribitur NT. S. MAX. idest Natalis S. Maximi, et in Kalendario M. S. quod prodiit ante ann. 1231., referente Mazochio *de SS. Episc. Neap. Eccl. p.* 317., eodem die signatur MAXIMI M. CVMANI. Solus ergo Petrus Subdiaconus an. 1207. repertus, qui Cumanum Levitam faceret. Neque enim moramur Sanctionem Synodalem Cardinalis Decii Carafa emissam anno 1619. istam quippe idem ille Caracciolus conscripsit, qui acta non viderat, et Petro caeco ducente in foveam lapsus est. Consule Vitam Caraccioli auctore Bolvito Monum. Eccl. Neap. praemissam. In Sacrario Cath. Ecclesiae Statua argentea S. Maximi servatur vestibus Leviticis induta Vid. *inf. Cap.* 3. §. 45. Cum vetustam hanc Statuam crederet doctissimus Amicus meus P. Vincentius Gregorius Lavazzolius Ord. Prædic. S. T. M. Diaconatum S. Maximi inde confirmabat. Sed non est omnino cur a statua illa metuamus. Cardinalis Carafa Martyrem nostrum Diaconum opinabatur Caraccioli suasu. Quid mirum si habitu Levitico sculpi jussit? Testem rogamus locupletissimum Chioccarellum apud Mazoch. *de SS. Episc. Neap. Part.* 1. *cap.* 2. *p.*48. „ *(Carafa Cardinalis in choro) Divorum Vrbis Custodum aliorumque Sanctorum statuas optimi artificis manu sculptas aptavit, Sanctorum nempe octo Vrbis Patronorum, S. Januarii, Aspren, Agrippini, Euphebii, Severi, Agnelli, Athanasii, et Thomæ Aquinatis; Sanctorum quoque* MAXIMI CVMANI MARTYRIS, *ac Caroli Borromæi Cardinalis* „ Argenteam Statuam hoc exemplo conflatam adfirmo.

§.10. Duo sunt quae Petro Subdiacono fucum fecerunt. Levitam putavit S. Maximum ex eo quod Acta genuina bis Martyri haec verba adiudicent Sect. XI. *Ego... semper Domino meo sacrifico* „ Deinde Levitam credidit, quia homonymus Martyr Aviensis Diaconus fuit, uti mox indicabimus: quamobrem ex duobus Martyribus unum conflavit. Sed adlata verba Beatissimi Athletæ de Diaconatus exercitio non sunt accipienda, immo potius de quotidiano sacrificio cordis, vel synaxi. Sic et S. Tarachus veteranus miles ap. *Ruinart. p.* 377. „ *Ego*, iniquit, *Deo meo quotidie sacrifico*. S. Crispina *p.*394.§.1. „*Nec sacrifico nisi uni Deo et Domino nostro Jesu Christo*. „ S. Theodotus caupo Ancyranus *p.* 306. *n.* 28. „ *Convenit credentibus in Christum, hujusmodi sacrificia ei offerre, qualia ego obtuli* „ S. Mammarius in *Act. apud Mabillon. Analect. tom.* 4. „ *Domino Jesu Christo sacrificamus* „

§.11. Alius vero a nostro fuit S. Maximus Aviensis Diaconus et Martyr passus sub Decio an. 250. Servavit Acta post Baronium, Surium, et Henschenium Ruinartius p. 133. Usuardus Sæc. VIII., Ado Viennensis Sæc. IX., ac Martyrologium Romanum sub die 20. Oct. Beatissimi hujus Diaconi meminerunt, ac martyrii ad Aviam consummati. Petrus de Natalib. *lib.* 9. *cap.* 85., Codex M. S. Sancti Germani ap. Ruinartium AMBIAM scribunt, Acta Ruinartiana ASIAM. Revera AVIA scribenda fuit, quæ Urbs diruta in Vestinis prope Aquilam ostenditur, et pereleganti opusculo a Cl. Viro Vito Maria Giovenazzio illustrata est. Neque obstat quod Acta Ruinartiana *Provinciam Aviensem* nominant cum Adone atque Usuardo, qui de re ab Aveia Italica Cl. Ruinartius discedens, alibi martyrium proposuit. Doctissimi Giovenazzii verba adscri-

bam ex cit. opusculo *p. 63.* „ *Per Provincia s' intende anche il distretto, o l' agro di ogni Città. Questa intelligenza non si troverà data nel Du Cange a tal voce : ma pure così l' ha presa S. Gregorio Dial. lib. 3. cap. 15.* „ *In Nursiae partibus Provinciæ* „ *volendo indicare il tenimento di Norcia, e cap. 36.* „ *Ex Nursina Provincia*,, *E nelle Lettere dice, in Sorana Provincia. V. Mabillon. tom.* 1. *lib.* 1. *n.* 3. *Annal. Benedict.* Josephus Coppola Episc. Aquilan. an. 1749. S. Maximi Aviensis Passionem curavit recudendam Neap. typis Jos. de Bonis : in eoque Commentario *p.* 19. Diploma producit ab Imperatore Ottone datum 16. Jun. 956. per Bonifacium Judicem et Notarium, ipsiusque sinceritatem propugnat. Hoc Diplomate Imperator S. Maximum Diaconum rogat, *ut aliquantulum de ejus sacro corpore secum portare consentiat*. Sane cum Baronio Tillemontius *Hist. Eccl. tom.* 3. *art.* 13. *p.* 334. translatas in Germaniam reliquias Martyris opera Ottonis narrat. Tanta ejus Martyris fuit celebritas, ut Episc. Aquilanus, unita Sede Aviensi, *Episcopum* se *Sancti Maximi* vocari amaverit. Murat. *Rer. Ital. tom.* 2. *c.* 487. 488. Coppola *p.* 66. Quamobrem Petrus Subdiaconus fama, et Martyrologiis delusus Diaconatum Aviensis nostro Cumano satis liberaliter commodavit.

§. 12. Illuc redeo. Legimus in Actis *Sect.* 3. „ *Trophæo Crucis armans frontem, in faciem Præsidis se obtulit* „ Noluisset Petrus Subdiaconus Confessorem fortissimum divino spiritu actum, sponte sua in agonem processisse : nec tamen vidit prudentissimum fuisse consilium procedendi tunc in publicum, et Præsidem obiurgandi, ne adsistens populus, et illo commixti Christiani innumeri, sacrificii impietate pollucrentur. Narravit ergo, ut repraesentat Synopsis

Caraccioliana p. 173. „ *Fabianus Praeses* ARCESSITO MAXIMO, *incassum conatur ad idolorum cultum eum trahere* „ Mirum etiam Eusebio visum si qui Martyres non acciti, aut comprehensi in supplicia ruerent. Vide Cl. Mazoch. *in Kal. p.* CXI. *n.* 43., ac Tillemont. *Hist. Eccl. tom.* 3. *p.* 344. *art.* 17. Nihilominus si iustae caussae subsint, sicuti in Cumano certamine videre est; non modo calor et impetus Athletarum excusandus, sed in caelum etiam immensis laudibus efferendus. Laudat Eusebius *lib. V. cap.* 1. S. Vettium Epagathum obsistentem Praesidi saevienti in Confessores Lugdunenses anno 177. Martyrium quoque S. Lucii collaudat *lib.* IV. *cap.* 17. in hunc modum, *Lucius Christianus cum Ptolemaeum ob Christi fidem ad supplicium rapi videret, sic Vrbicium Praesidem adloquitur: Quid caussae est, ut hominem neque adulterii, nec stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec raptorem, nec ullius denique sceleris reum, nominis dumtaxat Christiani vocabulum confitentem condemnaveris? ... Tunc Vrbicius.. Tu quoque, inquit, Christianus mihi videris. Cumque Lucius ita esse respondisset, jussus est itidem ad supplicium duci*. Idem Euseb. *de Martyrib. Palastinae*, SS. Antoninum, Zebinam, et Germanum MM. laudat *Cap.* IX. §. 27. „ *qui juncto agmine irruerunt in Praesidem, qui tum idolis sacrificabat, clamantes ut ab errore desisteret: neque enim alium Deum esse praeter universi opificem.. Post haec interrogati quinam essent, Christianos se esse audacter profitentur. Quam ob rem acrius commotus Firmilianus, nullis prius tormentis excruciatos capitali supplicio addixit*. „ Faciunt ad rem Acta sincera SS. Fausti, Januarii et Martialis *p.* 469. 1. „ *Cum Eugenius sacrilega mente et impio spiritu Cordubam adventasset, et servos*

Dei potius dinumerare ac probare, quam perturbare videretur, et deos suos adorare praeciperet; ei Faustus, Januarius, et Martialis occurrerunt, dicentes: Quid tibi vis, Eugeni? qui Dei servis mavis invidere quam credere? Tunc Eugenius ira percitus, dixit: O infelices homines, quid vos esse vultis? Faustus respondit: Nos Christiani sumus, Christum fatentes etc. „ S. Dionys. Alexandrin. Epist. ad Fabium apud Euseb. *lib. 6. cap.* 42. „ Universus simul militum manipulus Ammon, Zeno, Ptolæmus, Ingenuus cumque illis senex Theophilus ante prætorium stabant. Et cum quidam ob Christianam religionem in judicium inductus, iam iam negaturus Christum videretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu innuere, manus extendere, ac totius simul corporis motus gestusque edere coeperunt. Cumq. omnium in se oculos convertissent, priusquam ab aliquo comprehenderentur, ipsi ad subsellium accurrentes, Christianos se esse professi sunt. Quo facto Præfectus, et Adsessores qui in consilio aderant, metu perterriti sunt „. Isti igitur ex prætorio ovantes processerunt, cum Deus per ipsos gloriose triumpharet „ Latius hoc idem argumentum discutiemus in Commentariolo §. 8. Sancto Theodoto ultro se offerenti ad passionem Christiani adclamant: VALE O SVAVISSIMVM LVMEN ECCLESIÆ THEODOTE *in act.* §. 21. *p.* 304. *ap. Ruinart.* LVMEN ECCLESIÆ nos Maximum salutamus venerabundi. Sed rem cumulet planeque conficiat Basilius ille, re et nomine Magnus, qui Gordium Centurionem summis laudibus extollit „ quod persecutionem devitans primum, abjecto cingulo, ad loca deserta contendit: mox veluti fortis athleta, sese jejuniis, vigiliis, orationibus, *perpetua et indesinenti Spiritus Sancti oraculorum meditatione probe*

exercitatum, et ad certamen instructum animadvertens, hunc maxime diem observavit, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta .... Populus omnis ex edito spectabant, nec ullus deerat, non Judæus, non Gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ negligenter videbat, et cum vanitatis concilio commixsta sedebat ... Servi eo die ab opere liberi, pueri e scholis spectatum currebant, Fæminæ prostitutæ ac ignobiles aderant. Plenum erat stadium. et omnis jam turba consederat..... Tunc magnanimus ac fortis heros per montis clivum in theatrum properans; non populum horruit, numquam hostium se manibus tradere pensitavit, sed corde intrepido et animo excelso, quasi quædam continua saxa aut arbores multas, eos qui circa stadium sedebant prætercurrens, in medio constitit stadio, complens dictum illud Proverbiorum auctoris: *Justus ut leo confidit*. Quid plura?.... Cum in eminentiori theatri parte staret, ingenti voce, quam qui audierunt extant adhuc aliqui, exclamavit et dixit: *Inventus sum ab iis qui me non quærebant, his qui me non interrogabant palam apparui*. Quibus sane verbis se in eum ven isse locum significavit minime coactum, sed ultro se ad certamen exhibuisse, Servatoris exemplum secutum, qui cum per atram noctem minime videtetur, se Judæis manifestavit.,, *Homil. in Gord. M. milit. Cæsar. Opp. S. Basil. edit. Antvesp.* 1616. *pag.* 148. Legesis præterea ibid. acerrimam Gordii ad Præsidis tribunal, qui in theatro sedebat, contentionem, effusasque in eandem rem Basilii laudes; ut probe sentias, quantopere Maximus noster ob parem animi magnitudinem sit commendandus.

§. 13. Addit Capaccius p. 277. in Langobardico li-

bello prodigium referri: CRUCIS nempe SIGNUM APPARUISSE Cumanis Corpus Beatissimi Martyris quærentibus. Simpliciter in Actis nostris *sect.* 19. „ *Nescimus locum, ubi te requiramus. Qui respondens dixit ei: In agro Innocentii, ubi videritis Crucem, ibi requirite* „ Crux nempe in marmore aut laterculo incisa indicium erat corporis subtus latentis, ut alibi docebimus, §.33. et Commentarioli §. 38. nec prodigio Constantiniano opus fuit. Corpus vero ibi effossum, ajebat Petrus Subdiaconus, Cumas elatum fuisse, et in templo eidem dicato conditum. Capacc. *p.*277. Caracc. *p.*174. Aetate Petri Cathedralis Cumarum Ecclesia Sancti Maximi audiebat, quia Sæc. IV. desinente ut videbimus, §. 41. eo translatæ fuerant reliquiæ prius adservatæ in Basilica S. Maximi extramurana. Non alia Petro errandi fuit occasio. Denique, ut peccata cetera Subdiaconi mittamus, illud non ferendum, quod Actis ac Martyrologiis reclamantibus, passionem S. Maximi ad diem III. Kal. Octobrium retraxerit, quam die IV. Kal. Novembrium consummatam videbimus §. 23. Nunc his paucis contentus lector, et instituta comparatione fragmentorum quæ attulimus cum germanissimis Actis nostris, facile judicabit Langobardica a nostris derivata, sed per importunam Petri curiositatem, inscitamque eruditionem corrupta. Gesta et Acta Præsidalia aut Proconsularia ab Officio, sive exceptoribus exarabuntur. Locum adfero ex *Disput. S. Achatii Episc. ap. Ruinart. p.*131. „ *Lectis itaque omnibus Gestis Decius Imperator alterationem jam reddita responsionis* (al. legunt tam crebræ responsionis) *admirans, versus in risum est* „ Malim reponere „ *altercationem tam crebra responsionis* „ Hæc Proconsularia Gesta (de quib. etiam consule Pass. S. Felicitat. p.24. §.3. &c.) Notarii Ecclesia-

stici paucis immutatis in Fidelium usum vulgabant, atque in hac scriptionum classe Acta nostra S. Maximi omnino sunt collocanda. Sero tandem accesserunt Grammatistæ ignobiles, et priscam simplicitatem adspernati, monumenta corruperunt. Joannes Diac. Eccl. Neap. Scriptor Sæc. ineuntis x. ita exorditur Passionem S. Sosii ap. Mazoch. *Kal. p. 963.* „ *Plurimæ Martyrum passiones ex historiis et annalibus sunt decerptæ, in quibus seriatim commendabatur quidquid gentilis illa perpetrabat examinatio* (h.e. quæstiones). Deinde Stephanum Episc. Neap. secum adloquentem inducit „ *Est ... quædam scriptura, lepida, ut reor, digestione contexta, quam me olim vidisse recordor ... Tamen hæc qualicumque stylo prolata constet, sumenda est a te; et sicut certum est* TUOS FECISSE MAJORES, *quæcumque fiunt superflua reseca; necessaria subroga, inepta abijce, et .. in civilem redige compositionem*. Similiter Bonitus Subdiac. Neap. scripsit sæculo x. medio Acta S. Theodori Ducis edita a Bollando *sub die 7. Febr.* Accipe initium Prologi. „ *Quidam inertes SS. Martyrum passiones describentes, tanta eas absurditate faminum, tantaque obscuritate sensuum replevere, ut nec tempora passionis, agonum constantia, vel contra impios eorum victoriæ intelligi queant. Verumtamen ceu a solertissimis Cathigetis* (h.e. magistris) *talium figmenta fuerunt deprehensa, cultro suæ scientiæ detruncantes, solummodo de ipsis, ceu reliquias de naufragio, sententias colligentes, in liquidum ea suo convertere student ingenio. Ex quibus ... Gregorius Parthenopensis Loci servator ...cum quorumdam passiones SS. Martyrum rustico Achivorum stylo digestas legi in Ecclesia comperisset, et ex his populus audiens ridiculum potius quam imitationem adquireret ... non est passus*

Dei opus ludicrum fieri populorum. Quapropter me Bonitum indignum Subdiaconum Ecclesiæ Neapoleos compulit quatenus S. Theodori gesta politiori serie pertractarem: Vide hominis audaciam! Joanni Diacono, et Bonito Subdiacono Sæculi x. successit Sæc. XIII. Petrus Subdiaconus, dignum, ut ajunt, patellâ operculum.

§. 14. Quis vero fuerit Petrus ille Subdiaconus quæres. Habemus enim in vetustissimo Codice penes Mabillon. *Vet. Analect. tom.* 2. p. XI. Pagium *ad an.* 581. *n.* 16. et Pratill. *Prolus. ad Excerpta Paulli Diac. p.* 56. PETRUM NOTARIUM S. ECCLESIÆ CATHOLICÆ NEAPOLITANÆ scribentem anno 581. Vide Mazoch. *Kal. p.* 129. *Vindic. p.* 6. PETRUM SUBDIACONUM ECCL. NEAP. scribentem ab anno 910. ad 960. Miracula S. Agnelli, et S. Agrippini, atque alia hujusmodi memorat idem Vir. Cl. *de SS. Episc. p.* 330. 333. 334. In actis Translationis S. Maximi Cumani an. 1207., quæ inferius expendentur, nominatur PETRUS FICTAROLUS SUBDIACONUS ECCL. NEAP. inventioni præsens. Cumque postrema hæc historia cum Actis Langobardicis Petrum agnoscat auctorem, nec de aliis Petris Sæculi VI. ac X. sit fas cogitare, FICTAROLO Acta Langobardica sunt attribuenda. Passionem scilicet Martyris sui illustrare sategit in cultus, ut fit, restaurati celebritate, cum præsertim inventioni mirificæ, et pompæ translationis interfuisset. Probavi hactenus, quantum in re obscura licuit, contractas Breviarii Capuanii Lectiones prodisse VIII. aut IX. Sæculo, Acta longiora Langobardica Sæculo ineunte XIII. Acta vero nostra longe utrisque antiquiora. Nunc probandum instat nostra hæc non nisi IV. procedente sæculo emersisse. Statim id peritæ nares subolfaciunt, pas-

sim exstantibus vestigiis Constantinianæ ætatis, hisque in commentariolo nostro accurate demonstratis prout incidunt. Stylus ipse rudis, scatens undique loquutionibus plebeiis stylum sapit Commodiani, aliorumque illo sæculo scriptorum. Pauca nunc argumenta superaddam.

§.15. Evincam cap. III. §. 40. circa an. 319. Martyrium, sive Memoriam B. Maximo a Cumanis exstructam in loco sepulcri ad viam Caballariam; hinc IV. desinente Saeculo ossa translata ad Cathedralem Basilicam. Cum vero disertissime prodant Acta *Sect.* XVIII. XIX. XX. corpus numquam a primaevo sepulcro fuisse translatum, sed aromatibus conditum ibidemque relictum coruscare miraculis quo tempore Cumanus Notarius commentabatur, patet scriptionem huiusmodi ante Sæculum IV. desinens fuisse editam, alioqui et Corpus, et miracula non in agro, sed in Cathedrali Templo statuisset.

§.16. Porro haec inter miracula numeratur *Sect.* XVIII. „ GENTILES *perveniunt ad fidem* „ Scimus VI. sæculo Ethnicismi reliquias in Casino monte, et Corsica insula superfuisse. S. Gregor. M. *Dial. lib.* 2. *cap.* 8., *et lib.* VII. *epist.* 2. Scimus eodem sæculo inter Langobardos nonneminem adventasse Ethnicum. S. Greg. *Dial. lib.* 3. *cap.* 28. Paull. Diac. *Hist. Lang. lib.* 4. *cap.* 6. *et* 17. Consule Jos. Simon. Asseman. *Ital. Hist. Script. tom.* I. *p.* 108. *sqq.* Sed Langobardi Cumas numquam attigerunt, nisi tandem serius anno 715., cum nemo Ethnicus in hac gente viveret. Capacc. *Hist. lib.* 2. *cap.* 20. *p.* 251. In Campania perpauci idololatræ ruri, ut crediderim et in pagis, locisque silvestribus habitabant, et BARBARICINI circa an. 590. dicebantur teste locu-

pletissimo Joanne Diacono apud Caracciolum *cap.* 1. *sect* 4. *p.* 3. Reliquias puto Langobardici ethnicismi, non prisci illius Romani quia post varias externarum gentium irruptiones BARBAROS se ipsi vocabant barbari. Ruinart. *ad Vict. Vitens. n.* 198. Marcus Presbyter BARBARICINOS eosdem vocat montana incolentes in Sardinia insula, quos S. Ephysius dux vexillo Crucis antelato profligavit. Vide Ferrar. de SS. Italiæ *ad diem* 15. *Ianuarii p.* 27. Notarius proinde Cumanus si baptismum accepisse ethnicos VI. Sæculo hac illac in Campaniæ recessibus dispersos narrare voluisset, utique illos proprio nomine *paganos*, vel *barbaricinos* nuncupasset, scriptor ubique proprietatis verborum tenacissimus, nec loquutionum vulgarium parcus. Nunc GENTILES dicit, *sect.* XVIII., INFIDELES *sect.* I. CULTORES IDOLORUM *sect.* IX., numquam saltem *paganos*, quod vocabulum anno 365. primum studiosis occurrit in *l.* 18. *C. Th. de Episc.* Ergo Hagiographus noster huius vocabuli abstinentissimus, non ceteroqui elegantiam sermonis adfectans, medio Sæculo IV. scripsisse dicendus est, deque idololatris eius temporis est intelligendus. Neque alio indicio Cl. Mazochius *Kal. p.* 521. Acta S. Anthimi etiam IV. Sæculo medio egregie vindicavit.

§. 17. Sed si coniecturæ cuidam nostræ locus dabitur, argumento superius exposito vis non mediocris accedet. Paganos opinor Cumis pæne fuisse nullos IV. desinente sæculo, nullos V. ineunte per totam Campaniam. Neque obest ethnicos Neapoli degentes aevo etiam insequenti indicasse S. Greg. *lib.* VI. *epist.* 32., *lib.* XIII. *epist.* 12. Simul enim testatur mancipia quædam fuisse. Frequentissimæ vero conversiones Gentilium quotidie videbantur ad Martyris tumulum,

quia *multa beneficia* ibidem *ostendi* Scriptor Actorum perhibuit. At IV. etiam sæculo unus aut alter ethnicus in Cumano tractu remanserat, si neminem omnino fateri nolis. Notum est anno 318, aut saltem 324. Constantinum dirui jussisse Paganorum templa: atque ideo Cumanæ Sibyllæ Basilica profanata est, moeniis etiam urbis in ejus dorso superstructis. Agathias *hist. lib.* 1. Capacc. *p.* 249. 250. Ita explicabis Raynerium Sæc. XII. auctorem apud Falcon. *Act. S. Januar. p.* 182 „ PENES *igitur* CVMANÆ CIVITATIS MOENIA VBI *Vatis Sibyllæ promulgata quondam fuerunt oracula* „ Tumulus Sibyllæ *ampulla pendens* Petronio vocatur in Symposio Trimalchionis. *Lenticulam æneam* (φακὸν ἐν χαλκοῦ κατεσκευασμένον) adpellat S. Justinus testis oculatus, perque περιηγητόρας edoctus *in Exhort. ad Gent.* Hic tumulus in limine Ecclesiæ Cumanæ, parieti forsitan incrustatus, visebatur, eo translatus ex parietinis Templi Sibyllini. Nec novum ethnica monumenta Sacris ædibus fuisse adplicita. Ipse admiratus sum pulcherrimi artificii anaglyphum exhibens venationem Adonis in postico pariete aræ maximæ Cath. Eccl. Capuanæ. Salpionis anaglyphum extat sub ara maxima Cath. Cajetanæ. Cumque Sibylla Cumana ob adventum Christi prænunciatum non parvo in honore esset, facile ejus tumulum pro templi foribus propositum exstare voluerunt Cumani. Certe S. Augustin. *de Civ. Dei lib.* XVIII. *cap.* 23. (mittam ceteros) Cumanam Sibyllam summis laudibus non diffitetur extollendam, dicens; „ *In eorum numerum deputanda videtur, qui pertinent ad Civitatem Dei* „. Testimonium profero fragmentum corruptissimum ex sinceris S. Januarii Actis Mazochianis, sive Bononiensibus *sect.* 1. *p.* 22.

in Mazoch. Vindic. „ *Cum ipis frequens ĕrat paganorum*, *nobilium virorum magnam vatem*, *et tustamulus usque in hodiernum diem illām ēē manifestatur* „ Restituendum coniicimus . „ CVMIS VIS *frequens erat paganorum nobilium virorum ad magnam Vatem*, (ex regionibus longinquis utique) *cujus tumulus usque in hodiernum diem illa in Ecclesia* (*vel in limine Ecclesiæ*) *manifestatur* „ . Christiano triumphante nomine et Sibyllæ et deorum omnium religio interciderat, atque aboleta erat Cumis saltem sæc. IV. exeunte : (idque accidisse puto ob illustria S. Maximi miracula , et quod Cumas aliunde ingens Christianorum numerus confluxerat. Vide Commentariolum §.6. §. 18. §. 20 §. 34. §.35.) nam totâ Campaniâ insequenti sæculo fugatam ex urbeculis etiam et pagis luculenter Mazochius evicit. *Kal. p.* 40. Ac propterea Gentiles Christo nomen dabant IV. Sæculo medio ad sepulcrum S. Maximi, illâque ætate vixit Notarius noster talium beneficiorum testis, et laudator . Nec licet suspicari de Sæculo V. , quia tunc non Gentiles , ethnici, idololatræ, sed communi ac tritissimo verbo *Pagani* nuncupabantur, verbo, uti iam dixi , quod Scriptor sæculi præcedentis ignorabat . Hinc judicium sume de Actis Mazoch. eorumque ætate .

§.18. Nec non et rationes aliæ non spernendæ idem suadent. Quotiescumque Historiographus noster baptismi facit mentionem, lotos ait Cathecumenos *in nomine Patris*, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*. Sufficiebat baptismum nominasse: at cum Sæculo IV. Ariana pestilitas grassaretur sedulo et expresse Trinitatis mysterium enarrandum erat. Hinc Hagiographi ceteri coæquales exsertim referunt Martyres passos in fide Catholica Trinitatis, quod videre licet in Syntagma-

te Ruinartiano in Actis S. Vincentii *p.* 325., S. Euplii *p.* 362., S. Cyrici et Julittæ *p.* 421., SS. Fausti, Januarii et Martialis *p.* 470. Scilicet hæreticis opponebatur, quod nulla ederent miracula. S. Greg.Turon. *Hist. lib.* 9. *cap.* 15. *De Glor. Confess. cap.* 13. Objectum etiam quod Martyres non haberent. Hinc S. Pionius *Act.* §. 13. *p.* 124. „ *Pro cujus magistri nomine per vim mortui tot discipuli totque alii libenti animo pertulere supplicia? Quid memorem et aliqua mirabilia, quæ in Catholica Ecclesia contigerunt?* Concinit S. Montanus Martyr an. 259. *in Act.* §. 14. *p.* 204. *contestans* hæreticos, *ut vel de copia Martyrum intelligerent Ecclesiæ veritatem*. Ne regeras nihil diserte docuisse olim Arianos contra baptismi formulam, ut necesse non fuerit Cumano eamdem toties ad Arianos urgendos inculcare. Ex Arianismo pullularunt Theophonius Cappadox, et Euthychius Eunomii discipulus docentes *non in Trinitatem, sed in mortem Christi baptizandum esse*. Sozom. *Hist. lib.* 6. *cap.*26.*p.*730. *lib.* 7. *cap.* 17. *p.* 755. Sed ortus error ab odio internecino Arianorum omnium adversus formulam baptismi professos. Victor Vitensis Hist. Persec. Vandal. *lib.* 3. *cap.* 20. 21. Arianos confutare volens præcipue formula baptismi utitur. „ *Si non est* (inquit) *colendus* (Spiritus Sanctus) *cum Patre et Filio, ergo nec confitendus est in baptismo. Si autem omnimodo confitendus est secundum dictum Domini, et traditionem Apostolorum, ne semiplena sit fides, quis me poterit ab ejus cultu prohibere?* „ Concludit cap. 23. „ *Sit ergo nobis secundum salutaris baptismi confessionem fides integra Trinitatis: sit una devotio pietatis.* „ Propterea quærebatur olim an baptizati ab Arianis rebaptizandi essent, dubietatem removente S. Eugenio Epi-

scopo Carthaginensi in Epistola anni 484. Vide Ruinart. *Hist. Pers. Vand. Part.* 2. *cap.* 8. *p.* 250. Gloriatur eadem de caussa S. Victorianus apud Victorem Vitens. *lib.* 5. *cap.* 4. „ *Sum in Ecclesia Catholica baptizatus*. „ Feminæ etiam Catholicæ abeuntes Martyres compellant lib. 2. cap. 11. „ *Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis?* „ Namque inter Arianos relinqui se querebantur. In nostra etiam Campania de rebaptizandis hæreticis Arianis dubitatio aliqua Constantini temporibus nascebatur. Ad Episcopos ergo Campaniæ (quos inter Cumanus erat) S. Eusebius Rom. Pontifex rescripsit *hæreticos rite baptizatos*, *per manuum tantum impositionem ab Episcopis solis faciendam*, *debere in Ecclesiam recipi*. De toto hoc negotio consulendus Caracciolus *Monum. Cap.* XI. *p.* 135. Vixit S. Euseb. an. 311.

§. 19. Accedit, Actis prodentibus, quod sepultura Martyris absoluta est anno ac die ipso martyrii (h. e. 29. Oct. 304.) in agro Innocentii secus viam Caballariam. Si Cumanus Hagiographus, ut signum διακριτικὸν daret, Innocentium prædii dominum nominavit, utique dum scribebat, notus erat Innocentius civitati; neque enim διακριτικὸν σημεῖωμα, nisi vulgo notissimum Scriptor sanæ mentis adhibuisset. Nomen vero civis facile plebeii, conditione saltem aliisque characteribus non adjectis, generationis alterius ingressu aboletur. Sic Acta anno circiter 347. evulgata opinor, cum poterat ille Innocentius notus esse. Ne mireris me annum 347. adsignasse: nam tempore hoc tota Campania turbis Arianorum hominum vexabatur. Immo Neapoli in Cumarum vicinia, prædicto anno Zosimus Arianus Episcopatum occupaverat exturbato S. Maximo legitimo

Antistite. Vide Libellum Precum coætaneorum Fausti et Marcellini *in PP. Biblioth. tom.* 5. *p.* 652. Carac. *Mon. Eccl. Neap. cap.* 22. *p.* 300. *sqq.* Mazoch. *de SS. Episc. Neap. p.* 225. At in Campania Sæc. v. medio Arianismus magis succreverat, qua ætate apud Neapolim Idacius Lemicensi Episc. scripsit *Declarationem contra Varimadum* insertam Bibl. PP. Conf. Ruin. Hist. Pers. Vand. *Part.* 2. *cap.* 4. *n.* 7. eo in libro scripsit Idacius quod suis diebus „ *Ariani de infidelium regum gloriabantur superbia* „ His etiam temporibus S. Castrensis Episcopus in Campania substitit *apud populum* CULTOREM TRINITATIS, quod probat aliis in Campaniæ civitatibus errores Arianismi disseminatos. Missi autem Episcopi Afri *ut populos Campaniæ ab* OMNI ERRORE *absolverent* i. e. Arianismo. Ita Acta S. Castrensis ap. Maz. Kal. *p.* 39. *sqq.* (qui tamen perperam *errores* de ethnicismo interpretatus videtur). De S. Castrense et Soc. multa in forulis habemus prelo destinata.

§. 20. Clausula denique Actorum *sect.* 20. hujusmodi est „ *Regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria et imperium in sæcula sæculorum; Amen.* „ Hujus clausulæ ductu Cl. Scipio Maffeius antiquitatem adseruit Actis SS. Firmi et Rustici. Vide Ruin. edit. Veron. *p.* 544. *n.* 3. Profecto historiæ passionum germanissimæ sæc. IV. cumprimis exaratæ, ita desinunt. Ex Collectione Ruinartiana illarum syllabum adiicio. Sunt autem S. Justini *p.* 50., S. Epipodii *an.* 178. *p.* 67., S. Symphoriani *an.* 180. *p.* 71. (Citavit hæc S. Gregor. Turon. *de Gl. Conf. cap.* 77.) S. Pionii an. 250. *p.* 128. S. Maximi Aviensis an. 250. *p.* 134., S. Petri et Sociorum an. 200. *p.* 136. S. Luciani anno 200. *p.* 143. S. Cypriani *p.* 190. (Sunt

autem Proconsularia, et citantur *Epist.* 77. *inter Cyprianic.*, nec non a S. August. *serm.* 309.) S. Genesii an. 303. *p.* 237., S. Rogatiani an. 304. *p.* 248., S. Cassiani an. 298. *p.* 267., S. Procopii an. 303. *p.* 311. (Auctor omnino coævus), S. Agapes an. 304. *p.* 351., S. Irenæi Sirmiensis an. 304., *p.* 358. (item coætanea, immo Proconsularia) S. Crispinæ an. 304. *p.* 396. S. Ferreoli an. 304. *p.* 408., S. Sereni an. 307. *p.* 434. (primæva sunt), SS. Phileæ et Philoromi an. 306. *p.* 436., S. Petri Balsami an. 311. *p.* 442., S. Julii *p.* 483. (antiquiora Notkero, et Adone). Vere igitur nostrorum sinceritati actorum clausula illa salutaris favet, sæculoque non serius IV. adjudicanda clamat. Nunc de scriptis IV. sæculi audiendus Mazochius *Vind. Act. S. Ian. p.* 76. *n.* 8. „ *Si quatuor illa beatissima sæcula non tuta a fraudis suspicione sunt*; *quid porro reliqui fiet*? „ Passiones IV. sæculo adnotatas tutas a suspicionibus esse eruditi consentiunt omnes.

CAPUT II.

De anno ac die triumphali S. Maximi.

§.21. Si Caracciolum audiamus *cap.* 18. *p.* 168. epocha martyrii in annum 298. incidit. Historicus enim Langobardus illum edocuerat pacem Ecclesiæ (scil. an. 312.) quindecim annis a martyrio abfuisse. Verba Petri Subdiaconi retulimus Cap. 1. §. 5. „ *Post cujus* (S. Maximi) *obitum* xv. *fere per annos Christianorum infestatio mansit. Tum, ubi pax Christi Ecclesiæ restituta est, apparuit idem Martyr etc.* „ Sed in actis genuinis Sect. XIX. ipse S. Maximus aiebat „ *Corpus meum remansit in agro* (post martyrium,) *sunt hodie anni quindecim* „ et Sect. ejusdem initio legitur intra hos annos xv. Sacerdotes metu persecutorum dispersos ad suas rediisse Ecclesias. Itaque xv. anni a martyrio ad inventionem reliquiarum sunt numerandi, non autem a martyrio ad Ecclesiæ pacem anni 312. Nullum sane præsidium incerta hæc inventionis epocha ministrabit ad passionis diem cognoscendum.

§.22. Sed omnia plana fient si characteres temporis ab Historico expressos diligentius rimemur. Eruendi sunt autem in *Sect.* I. *&* II. Persecutio proponitur in Oriente, atq. Occidente sæviens, *ut Christi fides* DE OMNIBVS TERRÆ TERMINIS *deleretur*. Supplicia vero DIVERSA fuisse indicantur, hoc est multiplicia, inaudita. Notum est ipso Terminalium die 23. Februarii an. 303. Edictum persecutionis fuisse propositum Nicomediæ. Lactant. *de Mort. Persec. cap.* 12. Nihil novi tunc in Italia, ubi Maximianus versabatur. Anno insequenti 304. Diocletianus ad Maximianum atque

Constantium literas dedit ut suum sequerentur exemplum. *Et quidem*, Lactantius inquit *ib. cap. 16.*, *Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Vexabatur ergo* VNIVERSA TERRA, *et præter Gallias, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant.*

„ *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,*
„ *Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,*
„ *Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*

At primum illud edictum Nicomediense nihil continebat de *diversitate* pœnarum. Textus Lactantii evidenter probat ejusmodi diversitatem tunc apparuisse cum *vexabatur universa terra*, scil. post literas ad Maximianum datas an. 304. Idem quoque innuit *Divin. Inst. lib. 5. cap. 5.*, ubi inter alia „ *Plurima*, scribit, *mortis imago . . . Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque sæviit* „ Et de *Mort. persecut. cap. 15.* „ *Tormentorum genera inaudita excogitabantur* „ Accedit auctoritas Constantini Imp. apud Eusebium *lib. 2. cap. 51.* „ *Judicibus præcepit* (Dioclet.), *ut ingenii solertiam sibi a natura insitam ad acerbiora supplicia excogitanda intenderent* „ Non ergo persecutio in Actis nostris descripta Italiam vexavit, nec diversi et inauditi cruciatus exerciti sunt, nisi anno 304. ad Aprilem usque mensem anni 305., quo infestatio Christianorum cessavit. Consule Euseb. *de Martyr. Palæstina cap. 13.* Proinde cum passio S. Maximi Octobri mense fuerit consummata, patet non nisi ad annum 304. ablegandam esse. Antequam discedam Langobardicæ historiæ mendacium insolentissimum notabo. Persecutionem Diocletiani ad xv. annos extendit in Italia, ubi vix annum unum

ac paucos præterea menses duravit. Decennium huic persecutioni dederunt Eusebius *lib. VIII. cap.* 15. et Sulpicius Severus *lib.* 2., nec tamen de Italia loquuntur.

§.23. Anno martyrii semel constituto, diem facillimum est noscere. Nam bis edicunt acta nostra coæqualia adeptum fuisse coronam Heröä Cumanm IV. KAL. NOVEMBR., scilicet in titulo historiæ præfixo, & Sect. 20. non per sigla et scripturæ compendia sed exsertim. At bonus ille Subdiaconus apud Capacc. *cap.* 18. *p.* 168. passum aiebat mense Septembri „ *Passus est autem Beatissimus Martyr III. Kal. Octobris* „ Sic non leve indicium rursus præbet novitatis atque imperitiæ suæ. Sed Kalendarium Neapolitanum Sæculi IX. (sup. §. 9.), et Breviarium Capuanum Sæc. VIII. (sup. §. 4.) Martyrologium Antuerpiense, et Kalendarium aliud M. S. diem adsignant III. Kal. Novembres (d. §. 9.) Cur? inquies. Nodum solvunt Ephemerides IX. Sæculi, ubi in marmore scalptum ad diem 30. Octobr. NT. S. MAX. Solemne est in hoc marmore PASSIONEM diebus δευτερίμοις præmitti. At NATALIS *nota*, inquit Cl. Mazochius in *Comment. p.* 930., *vix et ægre aliis quam Sanctis die non suo cultis præponitur*. Tributus ergo dies 30. Octobris Natali S. Maximi, quia præcedens dies passionis a Sancto Barnaba Apostolo in eodem Kal. erat occupatus. Melior tamen ratio succurrit, unde liqueat cur festus dies fuerit transpositus a die 29. Octobris ad sequentem. Jubet Martyr corporis sui effossionem die triumphi anniversario, i. e. 29., Octobris. *Sect.* XIX. „ *Sunt* HODIE *anni quindecim* „ *Post somnium* SVRREXIT *Juliana*, et TVNC exivit civitas cum Sacerdotibus ad corpus inveniendum *Sect.* XX. Hæc igitur evenerunt

die 30. Octobris, cui memoria inventionis adfixa est, ac deinde pro die passionis haberi cœpit. Perfunctorie animadverto die 29. cæsum Martyrem apparuisse Julianæ in nocte ejusdem diei, et HODIE, *hoc die 29.* dixit se certamen subiisse, quia dies 29. media nocte desinebat more veteri, et ab illa dies 30, ducebat initium. Censorin. *de Die Natali cap. 23.* „ *Romani a media nocte ad mediam noctem, diem esse existimaverunt. Indicio sunt sacra publica, et auspicia etiam magistratuum: quorum si quid ante medium noctis est actum, diei qui præteriit adscribitur: si quid autem post mediam noctem et ante lucem factum est, eo die gestum dicitur, qui eam sequitur noctem* „ Communis idem usus Ecclesiæ a Romanorum consuetudine processit. Vide quæ disserit Cl. Mazochius *Kal. p.* 712. Si passum velis Martyrem die 30. Octobris., hoc est ante mesonyctium diei 31., eccur non PASSIONEM sed NATALEM hoc die consignavit Marmor Neapolitanum? Si suspiceris insuper NATALEM pro PASSIONE poni (quod rarissimum in hoc marmore) auctoritas Historiæ nostræ suspicionis nubeculam dissipabit, significationem *Natalis* intra consuetos retrudens cancellos.

§.24. Martyrem fortiter occubuisse vidimus die 29 Octobr. an. 304. Nunc de Antonino Præfecto, et de Fabiano Præside pauca observanda restant, quibus Magistratibus imperium potestatemve exercentibus S. Maximus pugnavit. Primum videbimus de ANTONINO PRÆFECTO, pro quo Petrus Subdiaconus ANTONIUM PRÆF. URBI nescio quem obtrudit, et hunc Antonium suum *callidissimum* quoque dicit, quasi veterem convivam nosset: immo et adserit Antonium *in Romulea Urbe* erexisse deorum statuas interdicto emendi vendendique commercio his qui non sacrifi.

carent. O miram hominis audaciam! Nihil addo amplius. Ego vero amanuensium præcipitantiam incuso, qui ANTONINUM pro ANOLINO, quod nomen rariusculum erat, in Actis genuinis repræsentarunt. ANOLINUS porro optime dicitur in plerisque scriptis veterum, licet alibi ANULINUS. Vulgus enim Diocletianei temporis, archaismorum, ut solet admodum tenax, non ANULUM, sed ANOLUM pronunciabat, necnon et *parvolum*, *servolum*, *querolum etc.* Hinc recte ANOLINUS scribebatur ex consuetudine communi, immo antiquissima.

§.25. Quater ANOLINVS nominatur in Actis SS. Firmi et Rustici an 304. *in Collect. Ruinart. ed. Veron. p.* 545. 546. 547. 548. Occurrit etiam in Actis S. Victoris *ap. Surium tom.* 2. 8. *Maii* S. Clatei Episcopi Brixiensis *ap. Ferrar. p.* 342., SS. Naboris et Felicis *ap. Sur.* 12. *Jul. tom.* 4., SS. Nazarii et Celsi, *ibid.* 28. *Jul.* In Passionibus S. Firmi, et S. Naboris dicitur CONSILIARIVS Maximiani Imp.; in historia S. Victoris A CONSILIIS, quod melius. Imperatoris ejusdem (licet CONSILIARIVS quidam reperiatur in marmore Gruteriano *p.* 458. 1.) Sed Acta nostra Anolinum simpliciter PRÆFECTVM sistunt, sicuti Acta SS. Nazarii et Celsi, nec non alia S. Clatei. Consiliarii Imperatorum supremo dignitatum apice potiebantur. Pars erant Augusti Corporis, ut læderet Principis maiestatem qui ipsos lædere cogitaret. Arcad. et Honor. *l.* 5. *C. ad l. Jul. maiest*. Comites etiam Consistoriani audiebant, quia Principi in tribunali et auditorio cognoscenti adsistebant. *L.* 81. *D. de iure dot. l.* 6. *C. de usuc. pro empt. l.* 6. *C. qui bon. ced. poss.* Adi Guther. *de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 17. Hos inter Comites Consistorianos Maximiani

numerabatur Anolinus ideo Consiliarius adpellatus: sed et fuit Præfectus Prætorio Italiæ. Hoc suadent Acta Martyrum superius recitata, illa etiam quæ Præfecti vocabulo abstinent. Namque Anolinum referunt Mediolani, ubi versabatur Maximianus, et proprium Tribunal, et Officium, sive ministros habuisse. Relegenda præsertim sunt Acta S. Firmi, et S. Cratei. Atqui hoc non licuit nisi Præfecto Prætorii, qui etiam erat in imperiali comitatu. *L. 32. C. de appellat. &c.* Quamvis autem Præfectus Prætorio Italiæ, quovis intra Italiam loco potuisset sedem, tribunal, forumque statuere, nihilominus circa Diocletiani tempora Mediolani plerumque morabatur. Guther. *lib. 2. cap. 16. p. 352.* Et quidem Anolinus ibidem, coram Aug. Maximiano Herculio, scribitur adversus Christianos in tribunali suo sententias protulisse, idque solus potuit Præfectus Prætorii, præterea nemo. Addunt Acta SS. Firmi et Rustici iussiones et mandata Anolinum dedisse C. Ancario Vicario Veronæ (sive Diœceseos, sive Ducis fuerit,) certe Rectori Provinciæ. Atqui soli Præfecto Prætorii suberant Rectores huiusmodi, ipsiusque mandata accipiebant. *L. 1. C. ut omn. judic. tam civil. &c. L. 2. C. de Offic. ejus qui vice alt.*. Cassiodor; *Var. lib. 6. epist. 3.* Denique ut Anolinum vere Præfectum Prætorio fuisse cognoscas, adspice ut imperium exerceat in Actis SS. Firmi et Rustici p. 547. Postquam describitur Mediolano ad partes Venetiarum profectus substitisse Veronæ, sedisse pro tribunali, Confessores Christi audivisse, postremo subiungitur „ IVSSIT *Anolinus, ut ducerentur extra civitatem, et fustibus mactarentur, et sic eorum abscinderentur capita, et ita fecerunt ministri, sicut* PRÆCEPIT *eis Anolinus* „ At-

tendas non hic sententiam ullam *dictari*, et *recitari* de tabella, sed Anolinum PRÆCIPERE ministris, JUBERE, non scripto at omnino *verbis*. Princeps autem VERBO sententiam proferebat. Vide exempla elegantissima in *L. proxime D. de his quæ in testam. del.*, *L. 12. C. de poen.*, *L. 1. C. de sent. pass. et rest*. Solus erat Præfectus Prætorio, qui sententiam VERBO etiam pronunciabat ut Princeps, neque ab illa appellatio concedebatur. *L. un. D. de Offic. Præf. Præt.* Sero tandem Justinianus *Nov.* 126. sanxit, *Præfectos Præt. non* EX PRINCIPIS PERSONA, SED EX SUA *interlocutiones proferre*. Hinc optime laudat Mazochius Kal. *p.* 939. 940. proprietatem sermonis in Actis S. Tryphonis §. 6., in quibus legitur Aquilinum Præfectum Præt. sententiam PROTULISSE, non *recitasse*. His de caussis arbitror an 304. Anolinum Comitem Consistorianum a Maximiano etiam ad Præfecturam Prætorii fuisse evectum.

§. 26. Diu quæsivi iste Anolinus quisnam fuerit. Celeberrimus est Anulinus Africæ Proconsul, crudelissimus hac tempestate Christianorum persecutor. Optat. Milevit. *lib.* 3. Adde apud Ruin. *Acta* S. Felicis *p.* 313., S. Saturnini *p.* 338., S. Crispinæ *p.* 395. Is quidem, ut collatis Martyrum historiis liquet, Africam rexit a mense Junio 303. ad Decembrem 304. Rursus Africæ Proconsul adparet (nisi alius sit Anulinus) etiam sub Constantino an. 313. Vide Euseb. *lib.* 10. cap. 5. et 7., S. Augustin. Epist. 68. ad Januar. Baron. ad an. 302. n. 124. et Pagium ad *an.* 313. *n.* 5. Sed cum fuisset Proconsul an. 304., eodem plane Mediolani esse non potuit Præfectus Præt. Italiæ. Zosimus *lib.* 2. Anulinum commemorat Præfectum Urbi an. 306. Fasti Consulares eodem an. 306. Consu-

lem statuunt P. CORN. ANVLINUM. Difficile est eumdem fuisse Præfectum urbi et Consulem. Quare aut duo Anulini sunt cogitandi, aut fallitur Zosimus Præfectum Urbi ratus qui erat Consul. Dicerem, neque abutar indulgentia lectoris, hunc omnino P. CORNELIUM ANOLINUM fuisse annis 304. 305. Præfectum Præt. Italiæ, et subsequenti 306. etiam Consulem. Consularia ornamenta Præfectis Prætorio aliquando decernebantur, quod colligere est ex Inscript. *Grut. p.* 375. *n.* 1., immo Præfectura functi, Consules anno statim sequente procedebant. Vide exemplum Syagrii apud Guther. *lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 294. Non inepte auguramur P. Cornelium Anolinum Cos. an. 306. eumdem prius fuisse Præfectum Prætorio an.304.305. (scil. toto decimæ persecutionis tempore). Ac propterea Zosimus qui *Præfectum* sciebat hunc Anulinum, *Consulem* nesciebat, *Præfectum Urbi* duplici errore ductus credidit. Cum narrentur res in Campania gestæ ab Hagiographo Cumano, importuna fuisset ac ridicula commemoratio Præfecti Urbani. Delphinum silvis adpinxisset. Proinde Petrus, Subdiaconus qui Præfectum Urbanum in Antonio suo viderat, sive Anolino nostro, difficultatem perspexit, et effugere adnisus est. Acta sincera adulteravit, et statuæ quæ inibi dicuntur ad popularium sacrificia propositæ (Cumis scil.) vult Romæ collocatas jussu callidi Antonii Præfecti Urbani. Dolosa hinc transitione in Cumas progreditur, scribens „*Et hæc non solum in Romulea Urbe factitarunt &c.*„ Nos autem fidem Actorum nostrorum sine ambagibus tuemur. Epistola Persecutionis a Diocletiano ad Maximianum transmissa non nisi sub edicto Præfecti Prætorio Anolini Italiæ innotuit. Mos iste fuit etiam ante Constantinum. Epi-

stolæ, et præcepta Imperatorum Præfectis Prætorio transmittebantur, et ab his deinde proponebantur publice per Edictum, et ad Rectores Provinciarum transibant. Vide Mazoch. *Kal. p.* 316. *p.* 935. Guther. *lib.* 1. *cap.* 33. *p.* 159., *et lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 259. Exempla aliquot proferam. Novella Theod. *de Testamentis* subscriptum habet „ *Dat.* XII. *Kal. Novemb. Romæ Aëtio* III., *et Aurelio Symmacho VV. CC. Coss. PP.* (idest *Proposita*) *in Foro Trajani*. ANTELATA EDICTO ALBINI ITERUM PRÆFECTI PRÆTORIO „ Altera pariter Constitutio Theod. et Valent. 8. *de* 30. *annor. præscript.* subnotatum exhibet „ *Dat.* XV. *Kal. Jul. PP. in Foro Trajani* SUB EDICTO FIRMINI V. I. PRÆFECTI PRÆTOR. „ Propterea et legimus in Actis SS. Tryphonis et Respicii an. 250. ap. Ruin. *p.* 138. §. 1. „ *Exierat* (Fronto) *ad exquisitionem Sanctorum cum persecutoribus*. *Hoc autem* ERAT INDICTUM A PRÆFECTIS „ Discimus primum auxilio et ope Actorum nostrorum truculentissimam persecutionem Diocletiani in Italiam incubuisse SUB EDICTO P. CORNELII ANOLINI PRÆF. PRÆT. ITAL. an. 304. Atque hæc extudimus ex illis „ SVB ANOLINO PRÆF.

§. 27. Nunc ad Fabianum Præsidem gradum facio. Campaniam inquis regebant Consulares, non Præsides ævo Diocletiani. Verum facilis est ad propositam objectionem responsio. Mitti potuit Fabianus exra ordinem. Audi Lactantium *de Mort. Persec. cap.* 7. „ *Ut omnia terrore complerentur*, *Provinciæ quoque in frusta concisæ*, MULTI PRÆSIDES, *et plura officia singulis regionibus*, *ac pæne jam civitatibus incubare videres*; *item Rationales multi*, *et Magistri*, *ac Rationales Præfectorum* „ Ita accipio Acta S. Restitutæ sect. 1. *Iste igitur Diocletianus* ... *per omnes provin-*

C

cias suæ ditioni subjectas JUDICES AC PRÆFECTOS *destinavit, præcipiendo crudeliter, ut ubicumque Christi cultores invenire valerent, igne, ferro, fame, ceterisque pœnarum generibus laniando trucidarent.* „ Alia etiam responsio succurrit. Quilibet Provinciæ Rector γενικῶς *Præsidis* nomine gaudebat. Fenestella *de Magistrat. Rom. cap. 26.* „ *Præsidis nomen generale est, eo quod et Proconsules, et Legati Cæsaris, et omnes Provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides adpellantur.* „ Propterea omnes Provinciarum Potestates nomine Præsidum sæpius designat Tertullianus Apologetico. Proconsul Africæ immo et Procurator defuncti Proconsulis *Præsides* audiunt in actis S. Montani et Sociorum *an. 259. §. 3. 6. pag.* 201. 202. Vide etiam de Procuratore Vice-Proconsulari Præsidem agente Acta S. Perpetuæ *§. 6.* p. 83. In Actis S. Quirini *p. 439.* Maximus primæ Pannoniæ Juridicus, Præses nuncupatur §. 2. et alibi, cum tamen Amantius revera esset primae Pannoniæ *Praeses* §. 3. Adisis Valesium *in Euseb. Hist. lib. 5. cap. 1.*

§. 28. Fabianum hunc Praesidem, sive Judicem reperio in Historia quadam Spoletana S. Pontiani Martyris apud Ferrarium 19. *Jan. p.* 38. 39. Sed Spoletana omnino a Cumana fraudolenter subducta est. Brevi instituta utriusque collatione res fiet perspicua, præsertim si recogites Fabianum a Spoletano Judicem Antonini Imperatoris fingi, cum fuerit Campaniae Consularis sub Diocletiano, quod late ostendemus §. 30. Historia nostra anachronismos non continet. Alioqui certum est SS. Pontianum et Concordium (quem ignorat plagiarius Spoletanus) passos et coronatos sub M. Aurelio an. 175. Vide Annales Baronianos. Jam promissam collationem adgredior. I. Fa-

bianus S. Pontianum virgis ferreis cædi jubet, QVOAD TOTO CORPORE SANGVIS DEFLVERET. Exscripsit Acta S. Maximi Spoletanus auctor. In actis *sect.* xv. „ *Fabianus vero jussit eum* (Maximum) *flagellis caedi* QVOAD VSQVE VIDERET FLVVIVM SANGVINIS EJUS IN TERRAM MANARE. II. Super carbones ardentes incedere cogit Pontianum. Idem hausit a narratione Cumana *sect.* VII. Sed et S. Maximi responsio est. „ *Tu in nomine Jovis Dei tui pone manum in carbones, et liberet te Jovis deus tuus, si potest* „ historia S. Pontiani ita hanc ruditatem polivit „ *Ecce securus in nomine Dei mei super prunas incedo: tu mitte in aquam ferventem manum, et proba utrum te tuus Jupiter liberare possit* „ III. S. Pontianus in equuleo torquetur, sed fractis uncinis tortores deficiunt, plane ut confracto equuleo S. Maximi tortores deficiunt. *sect.* IV. Uterque in carcerem retruditur, utrisque animus in carcere Angelica visitatione sublevatur. IV. S. Pontianus per duodecim dies affligitur inedia in carcere: itemque (Sect. v.) S. Maximus *reclusus per decem dies cibum non accepit, neque aquam* „

§.29. Tempore persecutionis Diocletianeæ quatuor video Præsides Campaniæ in aliis Historiis nominatos. MARCIANVM in Act. S. Felicis Nolani. Ferrar. 15. *Nov. p.* 711., LEONTIVM in Actis SS. Archelaæ Theclæ, et Susannæ. *Ib.* 19. *Febr. p.* 36. Idem Leontius occurrit in Actis S. Fortunati *ib. p.* 550. Hunc deinde volunt a S. Juliano Tarracinæ baptizatum, nunc ibi coli in albo Sanctorum. Ferrar. *p.* 684. 687. Petr. de Natal. *lib.* 10. *cap.* 2. Sur. *die* 31. *Octobr. tom.* 6. DRACONTIVM in Actis Bononiensibus S. Januarii et Actis S. Marcelli. Maz. *Kal. p.* 270. 273.: Denique in Actis S. Jan. a Baronio vulgatis TIMOTHEVM. Dif-

ficile est tot Præsides Campaniam rexisse minus biennio, licet annua ipsorum ponatur successio, sicut apparet in Actis S. Philippi Heracl. *an.* 304. *p.* 368. §. 8. „ *Basso Præsidi annuus successor advenit Iustinus*. „ Aut ergo faba in Hagiographos mendaces cudenda est; aut præsidium quærendum in consuetudine plurium nominum, quæ quisque sibi ad satietatem usque adsciscebat Diocletiano imperante; aut potius confugiendum est ad insignem locum Lactantii superius adlatum §. 27., ubi discimus in persecutione provincias in frusta concisas multis Præsidibus obediisse.

§.30. Puto autem Fabianum, qui S. Maximum Cumis damnavit totius fuisse Campaniæ Præsidem, quia obibat regionem Act. *Sect.* IV. In Actis S. Sebastiani pro Christo occisi an. 286. Præfecturam Urbanam gerit Fabianus. Idem Præfectus iudicavit de capite SS. Marci et Marcelliani. Mazoch. *Kal. p.* 674., et cum Maximus dicatur in Menologio, cumque Junius Maximus Præf. urbi sit adnotatus in Laterculo Præfectorum Bucheriano, et in marm. Gruteriano p. 309. n. 8., sub annis 286. 287. optime coniecit Mazochius *p.* 683. 684. eumdem esse Fabianum cum M. Junio Maximo Gruteri, et Junio Maximo Bucherii, qui fuerit Præf. Urbi annis 286. 287., nec non eodem anno 287. etiam Consul. Plenis igitur nominibus detegitur M. IVNIVS MAXIMVS FABIANVS. Addo ego post Consulatum Præsidem Regionis missum an. 289. Fabianus enim hoc anno cognoscit caussam Tergestinorum SS. Justinæ et Zenonis, testantibus optimæ notæ Actis apud Ferrar. 13. *Jul. p.* 431. Probabile arbitror eumdem esse Fabianum qui in Cumanam Civitatem directus est Præses an. 304., dum et Præses Tergeste esset Manatius. Consule Acta S. Justi apud Ferrar. 2. *Nov. p.* 688.

§.31. Vidimus passum B. Maximum die XXIX. Octobris an. 304. in persecutione, quæ ipso anno iussu Maximiani Hercùlii Imp. in Italia excitata est sub Edict. P. Cornelii Anolini Præfecti Prætorio Italiæ. Damnatus est a Consulari Campaniæ M. Junio Maximo Fabiano. Rursus elucet differentia intercedens inter S. Maximum Cumanum, et Levitam Aviensem: nam Levita occubuit II. Idus Majas imperante Decio, ut relatum est in Actis Ruinartianis. In Lectionibus a Coppola editis *pag.* 5. (conscriptis tamen anno 1587.) Aviensis martyrium adsignatur diei 19. Octobris, et in Martyrologiis pariter. Festus dies anno 1360. in Aquilana Civitate indictus est 10. Junii, hodieque recolitur. Coppola *p.* 81. 83. Attamen errorem in Martyrologia Usuardi, Adonis, et alia apud Baron. *Mart. Rom.* 20. *Octobr. p.* 516. inde irrepsisse puto, quod sinceriora monumenta S. Maximum (Cumanum nempe) obtruncatum perhibebant IV. KAL NOV. Martyrologi autem ducem antiquiorem sequuti videntur, et dux in Codices incidens vitiosos, XIV. KAL. NOV. passionem Maximi (at perperam pro IV. KAL.) proposuit, qui cum esset Cumanus celeberrimus, Diaconus Aviensis reputatus est. Mihi extorserit nemo fidem Actorum penes Ruinartium exstantium, candore et simplicitate sua probatissimorum. Ex his, Aviensis passionem II. Idus Maias consignavimus: Ex nostris, passionem Cumani IV. Kal. Novembres.

CAPUT III.

De Cultu erga S. Maximum.

§. 32. Loquemur nunc de Cultu, quem Beatissimus Martyr jam inde a passionis die ad tempus usque nostrum, totos per annos mille quingentos, promeruit; de Basilica scil. in loco sepulcri exstructa, de reliquiis inde Cumas transvectis, et in Cathedrali Ecclesia collocatis, quæ idcirco S. Maximi Ecclesia dicta est: disseremus denique de Sancti Corporis inventione an. 1207., cum Neapolim translatum, et sub ara maxima Cath. Basilicæ tumulatum est beatam resurrectionem exspectans, miraculis ac beneficiis interea coruscans.

§. 33. Anno ac die ipso Martyrii, 29. Oct. 304., milites et Cives Cumani baptismum adepti, Hagiographo teste, *Sect.* XVIII. „ *sepelierunt corpus Beatissimi Maximi cum magna diligentia, atque optime collocaverunt in locum, qui vocatur Via Caballaria*,, Subdit *Sect.* XIX. *in agro Innocentii* conditum *signo Crucis* superposito. Verba adlata suadent Corpus in arca marmorea et altissime defossa humo reconditum. MAGNA spelientium DILIGENTIA illa fuit, ut in profundissima fovea corpus tumularetur. Certe post XV. annos ad detegendas reliquias FOSSIONE opus fuit. *Sect.* XX. Dixi S. Martyris exuvias in arca marmorea compositas, quia meliorem sepulturam non invenio, quæ in actis OPTIMA dicitur, nec sumptuosa videri potuit Innocentio prædii domino, ac tot civibus militibusq. Christianis pio officio defunctis. Immo sarcophagum fuisse marmoreum, in quo Beati Viri corpus inventum est Cumis an. 1207. diserte asserunt Acta Translatio-

nis. Vide inf. §. 43. Crux denique loculamento adiecta exposita esse debuit in humi superficie, ut thesauri subtus reconditi exhiberet indicium. Puto autem in tabella marmorea, aut Laterculo incisam veteri more Christianorum: non enim lignea et erecta esse potuit, ne illam imber edax, ventus, atque annorum series diruerent.

§. 34. Immo hæc prædicta metu Gentilium facta oportuit. In Actis S. Saturnini ap. Ruinart. *p.* 110. §. 5. „ *Sancti Viri Corpus.. duæ tantum mulierculæ... ligneo feretro immissum* QUAM MAXIME IN PRIMO LOCO COACTIS APTE SCROBIBUS CONDIDERUNT: *ut venerandas sibi Sanctas reliquias non tam sepelire quam* ABSCONDERE *viderentur* „ Siquidem persecutores etiam in cadavera et memoriam damnatorum pro Christo esferata rabie sæviebant. Tertullian. *Apolog. cap.* 37. „ *Nec mortuis parcunt Christianis, qui illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam nec alios, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant*: S. Augustin. in *Psalm.* 138. „ *Ecce qui Martyres persequebantur, Memorias Martyrum inquirunt et ubi adorentur.* „ Sit exemplo quod legitur in actis elegantissimis S. Cypriani §. 5. „ *Ejusque corpus* PROPTER GENTILIUM CURIOSITATEM *in proximo positum est* „ In Act. Ruinartian. SS. Epipodii et Alexandri an. 178. *p.* 67. §. 12. „ *Furantibus Christianis, educta occulte extra urbem corpora* ABSCONSA CONDUNTUR... *quia Gentilium furor extremam denegans sepulturam, etiam in corpora exanimata sæviebat. Postea vero venerabilem locum religiosorum cultus servavit.* „ S. Damasus Pontifex canit de SS. Marcellino et Petro *Carmin.* XIII. *in Bibl. PP.*

Marcelline tuos, pariter Petre nosse triumphos
Percussor retulit Damaso mihi cum puer essem,

Hæc sibi carnificem rabidum mandata dedisse,
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret
NE TUMVLVM VESTRVM QUISQUAM COGNOSCERE POSSET.

Indicat S. Damasus ethnicos etiam voluisse absconditas Martyrum exuvias ne paterent Cultui Christianorum. Ceterum igne, mari, laniatu bestiarum, et avium perdendas curabant. Vide Commentariolum nostrum ad acta §. 24.

§. 35. Jacebant reliquiæ S. Martyris Maximi in agro Innocentii, cum XV. post annos a passione (scil. ante mesonyctium diei 30. Octobris) Martyr adparuit IULIANÆ, quæ *Sect.* XIX. hoc elogio honestatur: MULIER RELIGIOSA ET METVENS DOMINUM. Fuit autem S. Juliana Ascetria, nam *religiosæ mulieres* ascetriæ vocabantur Sæc. IV., ut ascetæ *religiosi viri*. Postmodum Sæc. V. simpliciter nuncupabantur *Religiosi*, vel *Religiosæ*. Adisis Cl. Mazochium nostrum Kal. *p.* 940. 963. De Sanctis Virginibus, sive Ascetriis loquitur S. Cyprian. *lib. de Hab. Virg.*, et *epist.* 62. *al.* 60. Has Diocletianus præcipue insectabatur. Niceph. *lib.* 7. *cap.* 7. Confuderunt veteres ac recentiores (si Felicium excipias) S. Julianam Martyrem Nicomediensem cum nostra S. Juliana Ascetria Cumana. Passa est Nicomediensis 21. Decembr. an. 294., atque hoc die memoria ejus in Græca Ecclesia recolitur. At Cumana in Martyrologio Hieronymiano Epternacensi, et aliis sexcentis nec Martyris titulo donatur, nec diem festum cum Nicomediensi communem habet. Cumis enim testantur coli die XVI. Februarii. Beda vulgatus hæc habet „ *Passa est in Nicomedia: sed post paucum tempus, Deo disponente in Campaniam est translata* „ Idem pæne ex Beda profert hodiernum Mar-

tyrologium Romanum. Conf. de his omnibus Mazoch. Kal. *p.56. seqq.* Exstitit olim Neapoli Aedicula S. Julianæ ad Porticum Nili, quam se puerum Capaccius vidisse testatur *p.* 276. In hac Januariam religiosam feminam reliquias condidisse SS. Severini et Julianæ narrat S. Gregorius *lib.* VIII. *epist.* 14. ad Fortunatum II. Episc. Neapolitanum. Cujus Julianæ? Cumanæ, omnino: neque enim S. Gregorius de Nicomediensi verbum addit, et cum reliquiæ S. Severini petitæ essent ex Castro Lucullano (ubi Corpus reposuerat S. Victor Episc. Neap. circa an 492. in Mausolaeo a quadam Barbaria exstructo, teste Eugypio coævo, *Vit. S. Severin. Cap.* 12. *ap. Bolland. die* 8. *Jan.* ita a Cumano Mausolæo reliquias S. Julianæ obtinuit Januaria. Proinde et in Kal. Marm. Sæc. IX. sub die XVI. Februarii habemus NT. S. JULIANES (h. e. *Natalis*, non *Passio*, immo S. Julianæ tantum, non etiam Martyris). At Sæc. XIII. primum, occasione translati Corporis S. Julianæ a Cumis Neapolim anno 1207., Petrus noster Subdiaconus ex Græco apographo vertit Acta S. Julianæ Nicomediensis, quam ut ad Cumas traheret, cumque nostra Ascetria confunderet, nescio quæ miracula commentus est, numerata inter fabulas a Baronio, Caracciolo p. 159., Mazochio, Sociis Bollandianis, Viris omnibus naris emunctissimæ. Nec mirum ergo si post acta ejusmodi vulgata, in Kal. Tutiniano, quod prodiit ante an. 1231. sub die 16. Februarii adscribatur „ JULIANES VIRG. ET MART. Potuit errori ansam dare Nicomediensis Julianæ celebritas. Nam Corpus S. Julianæ Cumanæ exceperunt an. 1207. Ascetriæ Monasterii Domnæ Romatæ. Vocabantur istæ DOMINÆ DE ROMANIA, sive de CONSTANTINOPOLI. Caracc. *p.* 162. Cumque in Menæis magnis *die* 21. *Dec.* adno-

tetur Constantinopoli Aedem fuisse dicatam S. Julianæ Nicomediensi juxta templum S. Euphemiæ ἐν Πετρίῳ quod pertinuit ad Monasterium Ascetriarum Imperialium, docente Du-Fresnio in *Constantinop. Christ. lib.* IV. *p.* 146.; hinc Sanctimoniales Constantinopolitanæ nostra in Urbe degentes cultum erga insignem Nicomediensem Martyrem professæ, facile pro illa Cumanam se accipere persuasæ sunt et gloriatæ Petri Subdiaconi fabulis suffragantibus. At Corpus Sanctæ Nicomediensis alibi servatur et colitur: Ferrar. *p.* 105. Caracc. *p.* 161., nec nisi Cumanæ exuvias Neapolis nostra adquirere potuit.

§.36. S. Julianam porro die 16. Februarii cultam, facile Cumanam esse Ascetriam, quam B. Maximus adlocutus est, et qua monente corpus Martyris est repertum, præter ea quæ congessimus, probat etiam perpetua conjunctio ossium S. Julianæ et S. Maximi. S. Maximus decollatus est extra Cumas, duobus inde M. P., *Sect.* XVII. Recte Petrus Subdiaconus ibidem sepultum opinatur. Ita legimus in Synopsi Historiæ Lang. apud Caracc. *p.* 174. „ SEPELITUR *in Via Caballina ad duo fere miliaria extra Cumas* „ Solebant enim Christiani persecutorum metu corpora Martyrum IN PROXIMO recondere, sive in vicinia campi, in quo fortiter occubuerant. In Actis S. Cypriani §. 5. ejus corpus dicitur IN PROXIMO POSITUM. Pariter in actis S. Saturnini adlatis §. 34. scriptum est ejus Corpus conditum fuisse IN PRIMO LOCO, ubi emendamus PROXIMO, quia PRIMO fortasse amanuensis per compendium exaraverat, et inde excidente lineola PRIMO perperam, non PROXIMO ut oportuit, legi cæptum. Anonymus Scriptor Actorum S. Julianæ apud Bolland. 16. *Febr.* narrat sepultam ipsam in mausolæo

prope territorium Puteolanum UNO MILIARIO A MARI; Ergo in eodem prorsus loco, ubi S. Maximus quiescebat, quievit S. Juliana, quia cum III. millibus passuum ex *Itinerar. Antonini* Cumæ distent Puteolis, cumque duobus millibus passuum a Cumis sepultus fuerit S. Maximus, miliario uno a Puteolis S. Juliana, communem, aut vicinam in eodem Oratorio sepulturam uterque nactus est.

§.37. In more positum erat, ut qui Sanctos Martyres in vita studiose coluerant, post mortem se ad sepulcra Martyrum condi juberent. Sic Eusebia cum XL. Martyribus sepeliri voluit. Sozom. Hist. *lib.* IX. *cap.* 2. Sanctus Joannes I. Episcopus Neap., qui obiit an. 432., referente Joanne Diacono in Vita. „ *In eo Oratorio, ubi manu sua dicitur condidisse Beatissimum Martyrem Januarium a Marciano sublatum, et ipse parte dextra humatus quievit* „ In Passione S. Maximiliani *an.* 295. §. 3. *p.* 264. *Ruinart.* „ „ *Pompejana matrona corpus ejus de Judice meruit* (h. e. emit, sicuti corpus S. Bonifacii emptum ab officiali solidis quingentum. Act. *ap. Ruin. p.* 254. §. 15.) ... *et sub monticulo juxta Cyprianum Martyrem, secus palatium condidit, et ita post* XIII. *diem eadem matrona discessit* (leg. decessit) *et* ILLIC *posita est.* „ Neque abludit pulcherrimum S. Ambrosii Epigramma apud Fleetwoodum, aliosq.

Vranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad Laevam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuvias.

Huc refer quoque Acta S. Saturnini §. 6. p. CXI. „ *Multorum ad Basiliculam illam* (sepulcrum S. Sa-

turnini) *fideliter a saeculo recedentium*, PRO SOLATIO *propter corpus Martyris quiescentis deferebantur exsequiae, et locus omnis tumulatorum corporum multitudine fuit impletus*,, Immo postea, tanta erat fidelium importunitas ut in Martyrum Oratoriis tumularentur, ut Imperiali lege (Vide §. sequentem) prohiberi hoc oportuerit. ,, *Nemo Apostolorum vel Martyrum sedem humandis corporibus existimet esse concessam*. Vid. *Cod. Theod. lib.* IX. tit. 17. *L.* 6. Propterea et S. Juliana Cumana prope tumulum S. Maximi in agro Innocentiano sepulta est. Deinde in Cumanâ Basilicâ an. 1207. utriusque reliquiae simul repertæ, simul quoque Neapolim translatæ sunt. Ne, quæso, cogitemus amplius de S. Juliana M. Nicomediensi, numquam in Campaniam delatâ. Colamus S. Julianam Ascetriam Cumanam, aevo Constantini in pace depositam, cultuque erga S. Maximum præcipue insignem. Ubi nunc S. Julianæ nostratis jaceat corpus ignoratur ,, *Forte jacet*, ait Caracciolus *cap.* 16. *p.* 162., *in aedibus iis, quas Moniales* (Domnæ Romatae) *vendiderunt Nobilibus Nili viris, ut ibi Sedile suum ampliori forma construerent. Erant enim eae veteris Monasterii ... Vel forte jacet in quadam aedicula ipsi Julianae sacra, sed nunc diruta ... Exseret fortasse caput Juliana, cum Deo visum, et nota insurget*,,

§. 38. Nunc redeo ad cultum S. Maximi. S. Juliana instante, die 30. Octobris an. 319., ut vidimus §. 23., *exivit omnis Civitas (cum Sacerdotibus) psallentes et benedicentes Dominum, faculas habentes in manibus : et fodientes invenerunt corpus Beatissimi Maximi post annos quindecim integrum et candidum velut nix, et condierunt illud aromatibus*,, Hæc narrant Acta *Sect.* XX. Mandata S. Maximi fuerant,,

Annuncia Sacerdotibus VT TOLLANT RELIQVIAS CORPORIS MEI „ Atque hic TOLLENDI verbum ita accipio, non ut significet reliquiarum translationem, quia vel cum Historicus noster Acta sua concinnabat, reliquiæ ab antiquo sepulturae loco nondum fuerant amotae. Ait enim sect. XVIII. „ *In quo loco* (ad Viam Caballariam) *multa beneficia* (CORPVS BEATISSIMI MAXIMI) *usque nunc ostendit* „ Verebantur antiqui sanctas reliquias commoveri, sive transferre. Exemplum promptuarium dant nobis Acta S. Saturnini superius laudata p. CXI. §. 6. apud Ruinart. „ *Mansit aliquamdiu sub vili cæspite omnibus quidem inhonorum; sed honoratum a Deo Martyris corpus, donec Sanctus Hilarius ... effossâ usque ad ipsum sepulcrum ligneum terrâ*, SANCTAS VERITVS COMMOVERE RELIQVIAS, BASILICVLAM ADMODVM PARVVLAM ... ADJECIT. *Procedente dehinc tempore ... Sanctus Silvius .. pulcram et speciosam Basilicam ... parans ad venerandi Martyris transferendas illic reliquias . . . recessit e saeculo. Post cujus obitum Sanctus Exsuperius in summum sacerdotium cooptatus ... basilicam consummavit, et feliciter dedicavit. Qui cum transferre illuc Sancti Martyris reliquias, non pro sua incredulitate, sed* PRO IPSIVS HONORE DUBITARET; *admonitus per quietem est, ne infideliter negligeret quod fideliter credidisset : nullam fieri vel diminutione* (leg. dimotione) *cinerum, vel commotione membrorum spiritibus injuriam ... Statimque tali visione firmatus* RELIGIOSIS IMPERATORIBVS PRECEM DETVLIT, *ac sine mora ulla quod tam pie poposcerat impetravit*, VT TRANSLATAS AD BASILICAM ... RELIQVIAS; *non tam temeraria violaret audacia, quam ambitiosius venerantis coleret obsequela* „ Ecce hic S. Hilarium Tolosanum, de quo Bolland. tom. 5. Maij die 21.

p. XI., immo et S. Exsuperium, Episcopum doctissimum, quem laudibus cumulat S. Hieronymus *Epist. ad Rusticum Monachum, et altera ad Furiam*, immo cui Sanctus Doctor Ecclesiæ Commentarios in Zachariam Prophetam inscripsit, cuique Innocentius I. Papa Epistolam misit de Canone Bibliorum, commotionem Sancti Corporis reformidasse. Observandum etiam S. Exsuperium reliquias transferendi potestatem ab Imperatoribus accepisse. *Ossa enim, et corpora non licebat domino loci effodere vel eruere sine decreto Pontificum, seu jussu Principis. L. ossa D. de relig. et sumpt. fun.* Multo minus sine jussu Principis transferre licuit a veteri ad aliud sepulcrum. Confirmatur quoque ad Pontifices pertinuisse decretum de ossium trajectione ex Plinio *lib.* 10. *epist.* 73. 74. Nota est inscriptio Gruteriana *p.* 578. *n.* 1. RELIQUIÆ TRAJECTÆ III. NON. FEBR. * EX PERMISSV COLLEGII PONTIFICVM * PIACVLO FACTO. Iuventii Celsi Icti pulcherrimum rescriptum rem illustrans exstat in Marmore *Gruter.p.*607. *n.* 1. Prono hinc alveo fluit, Cumanos nostrates etiam veritos fuisse si non corpus effodere, at saltem transferre, permissu Imperatoris in negotio subitario nec petito neque habito. Sive hæc, sive aliæ fuerint rationes, Acta aperte edicunt Corpus non fuisse translatum. Miror Petri Subdiaconi, sive alius Auctor sit Langobardicæ fabulæ, confidentiam, qui jam tunc Sancti Maximi Corpus a populo translatum Cumas, et in Templo ejus nomini dicato repositum egregie mentitur. Vide Capacc. *p.* 277. Sed et falli potuit præcepto illo Martyris: TOLLANT RELIQVIAS CORPORIS MEI.

§. 39. Ego vero prædixi intelligendum non esse præceptum de translatione. *Tollere* hic significat at-

tollere, exaltare, humo superponere. Non dissimile præceptum offendi in spuria Epist. 53. S. Ambrosii (quæ licet spuria, attamen v. Sæculo edita est. Mazoch. *Kal. p.* 688. *not.* 445.). Agitur de inventione Corporum SS. Gervasii et Protasii. Inter alia S. Paullus Apostolus his verbis S. Ambrosium per visum alloquitur „ ARCAM (reliquiarum) SVPERIVS EXALTABIS „ Respondet vita S. Ambrosii a Paulino composita „ *Ubi Sanctorum Martyrum* (Gervasii et Protasii) CORPORA SVNT LEVATA, ET IN LECTIS POSITA; *multorum ibi sanatae aegritudines perdocentur*. „ Effossa ergo Martyrum corpora supra pavimentum, immo in lecto sublimi honorificentissime collocabantur. Sic S. Vincentii Levitæ Ossa ante translationem LEVATA quoque sunt, docentibus Actis Ruinartianis §. 12. *p.* 329., plane sæc. IV. elucubratis. Item in Actis S. Sebastiani *sect.* 88. ita Matyr ad Lucinam „ *In cloaca illa.. invenies corpus meum pendens in gompho. Hoc tu dum* LEVAVERIS, *perduces ad catatumbas et sepelies*. Acta hæc IV. Sæculi desinentis opus a Mazochio judicantur. Verum, fateor, LAVAVERIS reponerem; purgamenta enim ex cloaca erant extergenda, nisi mavis lotionem funebrem cogitare, et versiculum priscum

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.

Sæculo deinde VIII. et IX. LEVATIO sive ELEVATIO Corporis quam descripsimus, legitimus evasit canonizandi ritus. Adi Mazoch. in egregia Diatr. Kalendario præmissa *p.* XXX. XXXI. Cave autem putes LEVARE corpus idem significasse atque efferre, exportare (quod plerique existimant). Significat proprie corpus extollere in altum, et cultui publico ostendere. S. Gregor. lib. 3. epist. 30. ad Constantiam Imp. „ *In pyxide*

brandeum (fascia) *mittitur atque ad sacratissima Sanctòrum corpora ponitur, quod* LEVATVM *in Ecclesia quae est dedicanda, cum veneratione reconditur.*„ Hoc pacto an. 319. Corpus S. Maximi levatum est, sive in lecto honoris gratia collocatum, populique osculis et amplexibus expositum. De amplexu Sanctorum Corporum, ut obiter dicam, testimonium perhibet antiquissima oratio Breviarii Capuani apud Mazoch. *Kal. p.* 652. De osculis vide factum Lucillæ apud Optat. Milevit. *lib.* 1. et Acta S. Vincentii §. 9. *p.*328.

§.40. Evicimus §. 38. post inventionem Corpus B. Maximi non fuisse a veteri sepulcro motum, sive translatum. Ac si effossum est, conditumque aromatibus, publicæque venerationi expositum, deinde eodem loco relictum, plane sub temporario Altari, mox etiam superstructo Oratorio sive Basilica collocatum fuit: ubi gentium Corpus S. Maximi manebat beneficia ostendens in agro Innocentii, sicuti aperte Acta clamant *Sect.* XVIII. nisi in Basilica? Non sane ibidem sub dio, nisi impietatis notam velis inurere S. Julianae, Sacerdotibus, populoque Cumano in corpore illo requirendo et colendo studiosissimis. Corpora Maryrum sub altari componebantur. Acta S. Fructuosi §. 7. p. 193. „ *Et mane facto mox Christiani omnes qui reliquias Sanctorum abstulerant, deferentes cum magno metu ac summa lætitia singuli narrantes visionem similem in Sacrosancta Ecclesia* SUB ALTARI SANCTO *exsultantes in Domino* HONORIFICE *sepelierunt*. Absque Martyrum reliquiis altaria excitari prohibet Canon LXXXIII. Codicis Africani. Hinc S.Augustin. *Serm.* 2. *de SS.* „ *Convenienter et quasi pro bono consortio, ibi sepultura Martyribus decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur: sicut Paullus dixit: Quotiescumque*

hæc feceritis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: Ut quippe qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub sacramenti ejus mysterio requiescant, et illic occisis tumulus constituatur, ubi occisionis Dominicæ commemoratio celebratur, et quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. „

Prudent. Hymn. *de S. Vincent. v.* 129.

Jam pace justis reddita
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus;
Subiecta nam Sacrario,
Imamque ad aram condita,
Cælestis auram muneris,
Perfusa subtus hauriunt.

In Act. S. Bonifacii *an.* 290. *p.* 250. *sect.* 2. ita Aglâê matrona ad Bonifacium loquitur „ *Perge igitur ad illas partes* (Orientis) , *et adfer nobis reliquias, idest corpora Sanctorum Martyrum, si quo modo servientes atque ministrantes* eis, *nec non et* ORATORIAS DOMOS (εὐκτηρίους οἴκους) *ædificantes eis dignas, per sanctas passiones eorum salvemur* „ Si hoc III. et IV. sæculo fuit in usu, somnium non videtur ædificatio Oratoriæ domus S. Maximo dignæ ad Viam Caballariam in agro Innocentiano sub an. 319. Tunc res Christianorum in Italia ita floruerunt, ut Corporis inventio cum pompa illa et celebritate evenisse potuerit, quæ graphice paucis lineis describitur Actor. *Sect.* XX. Tunc etiam Præsides Provinciarum Christiani erant. Euseb. *De Vita Constant. lib.* 2. *cap.* 44. Theodoret. *lib.* I. Niceph. *lib.* VII. *cap.* 46. Constantinus ipse Imperator Martyrum festa (τὰς τῶν μαρτύρων ἑορτὰς) instituit, vel imperiali potius san-

ctione confirmavit „ *Missa quoque lex est ad Præsides provinciarum (ethnicos) ut diem Dominicam etiam ipsi venerarentur. Iidem festos Martyrum dies jussu Principis observabant, et ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore pro equebantur* „ Euseb. *ib. lib.* 4. *cap.* 23. Adde Ruinart. in *Admon. ad Martyr. S. Luciani p.* 444. §. 6. Edicta Constantini pro Christianis ab Eusebio adlata *in ejus Vita lib.* 2. *cap.* 25. *et* 44. prodierunt anno 318., si Card. Baronio, credimus, licet Franc. Zacharias Vir doctissimus an 324. promulgata contendat *in Symb. Gorian. Vol.* IX. *p.* 163. 164. In tanta Ecclesiæ libertate, in tam insigni Cumanorum cultu erga S. Maximum, in testimonio Actorum qui sua ætate Corpus Beatissimi Athletæ adhuc in antiquo sepulcri loco miraculis clarescere monuit, præsidium quæsitum est adsertioni nostræ de Basilica S. Maximi ad Viam Caballariam statim excitata post Corporis inventionem.

§. 41. Nunc labor alius succedit. Quærendum est quo potissimum tempore idem Corpus ex Basilica extramurana, sive Innocentiana duobus millibus passuum a Cumis dissita, hanc in Urbem translatum fuerit, et in Cathedrali Templo repositum, quod titulo S. Maximi insigne mox videbimus. S. Juliana, quæ Martyrem detexit, eadem et nobis lucem præferet in notitia ista chronologica exquirenda. Acta priora S. Julianæ ap. Bolland. n. 21. sub die XVI. Febr. „ *Posita est autem Beata Juliana prope territorium Puteolanum* (i. e. qua Cumanum Puteolano contermi num), *ubi habet Mausoleum uno miliario a mari* (sive a Puteolis. Vide sup. §. 36.) *Postea vero imminente ethnica feritate* (an. 568. inundantibus Langobardis, ait Bolland. cum Henschenio) *ne talis tantusque the-*

saurus dehonestaretur; *translatum est corpus ejus in Civitatem Cumanam*, *ibique in ipsius et in Beati Maximi Basilica cum gloria collocatur* „ Postrema in mendo cubant. In Codice optimo Caraccioli *p.* 161, rectius legitur „ *Translatum est Corpus ejus in Cumanam Civitatem* IN IPSVM EPISCOPIVM, ET IN B. MARTYRIS MAXIMI BASILICA *cum gloria collocatum* „ Cum Acta isthæc sint Adone, Beda vulgato, ac Martyrologiis omnibus vetustiora, judice Mazoch. *Kal. p.* 58., omnino ante sæc. VII. emissa putantur. Mentio *Mausolæi* scriptionem sæc. VI. incipienti attribuit: nam etiam deprehenditur in Eugypii *Vita S. Severini cap.* 12. *ap Bolland.* 8. *Jan.* Sic potius *imminentem ethnicam feritatem* non interpretor de Hagarenis hunc tractum vastantibus an. 850. (Mazoch. Kal. p. 344, n. 117.), neque de Langobardis in Italiam erumpentibus an. 568. vel 571, nec de Totila Campaniam vexante an. 541., sed de GEISERICI incursione v, sæculo medio i. e. post an. 455. Vide Victor. Vitens. *lib.* 1. *cap.* 17. et Ruinart. *Hist. Persec. Vandal. cap. 6. n.* 13. *et seqq. p.* 227. Cumæ vero oppidum erat munitissimum, in quod postea Totilas, ac Tejas Gothorum Reges quidquid pretiosæ supellectilis habebant reposuere. Vide Agath. Scholast. *Hist. lib.* 1. Urbs in arduo colle sita, hinc mare Tyrrhenum editissima velut specula, inde campos Phlegræos late prospectat. Virg. Cumas vocat „ ARCES *quibus* ALTVS *Apollo Præsidet.* Silius Ital. *lib.* 12. . . . *regressus ad* ALTOS

Inde Pherecyadum MVROS (i. e. Cumanorum).

Chalcidenses, docente Servio ad lib. 3. Aeneid. *Cumas adepllaverunt* ἀπὸ τῶν κύοντος *h.e. a prægnante*, *sive ab undis quas Græci* κύματα *adpellant.* „ Sed Cumæ (aut Κύμη sing. num.) dictæ sunt ex Hebr. radice KVM i. e.

surrexit (קום) , ut proximæ Baiæ ex Hebr. BAJIAM (בַּיָּם) h. e. *mare*. Nostro veriloquio favent Syriaca verba optime correcta a Mazochio in Actis S. Febroniæ *Kal. p.* 722. „ ταλιθά κοῦμι, θά i. e. *puella surge, veni* „. Difficilis Cumarum ascensus, ac fortissima propugnacula et olim Annibalem, et postea Narsetem victos repulerunt. Capacc. *p.* 248. 250. Nunc datur intelligere quam prudenti consilio thesauri reliquiarum S. Julianæ, et S. Maximi ab agro, imminente ethnica feritate, securitatis et custodiæ caussa in Arcem Cumanæ urbis fuerint inlati. Nisi quod Acta S. Julianæ in M. S. emendatissimo Caractioli tradunt, juxta explanationem nostram, medio v. sæculo Ecclesiam Cathedralem titulo *Sancti Maximi* superbiisse, dum locum in eumdem S. Julianæ ossa comportabantur. Sic opinor, conficimus initio v. sæculi, aut extremis IV. Sæculi annis Corpus S. Maximi in Cathedrali æde collocatum; at exinde Basilicam S. Maximi extramuranam, ubi et S. Juliana requiescebat, sicuti coniecimus §. 36., Mausolæum S. Julianæ dici consuevisse, quia solum ejus corpus ibi remanserat. Denique v. sæc. medio etiam S. Julianam in Basilicam Episcopalem Cumarum, quasi a S. Maximo suo numquam divelli posset, barbaricæ incursionis periculo postulante, sese recepisse.

§. 42. A v. sæculo ad XIII., Templum Cathedrale Cumanum S. Maximi Ecclesia dicta est. Nam vidimus v. Sæculo medio hoc titulo fuisse nuncupatam. (§. 41.). Nuncupationem porro hujusmodi ad XIII. sæc. perdurasse clamant monumenta. Summam diplomatis cujusdam ex Capaccio *p.* 274. repræsentamus „ *Anno* 1141. *anno sexto, quo Rogerius Rex Siciliæ, Capuæ Principatu potitus est Joannes II. Episco-*

pus Sanctæ Ecclesiæ Cumanæ, cum consilio Cleri et Populi ejusdem Civitatis concedit, et confirmat Rogerio Abbati Monasterii S. Mariæ de Pasitano Ecclesiam S. Martini (an Maximi ?) *in agro Cumano; petitque ab eo, ut nummos aliquot singulis annis solvat, et inter alia, ut in* SANCTI MAXIMI NATALI (30 Octobris scil. *Vid.* §. 23.), *et in Coena Domini Præsbyterum ad officium divinum perficiendum mittat. Signum Crucis manus prænotati Secundi Joannis Cumani Episcopi.* MARCVS PRÆSBYTER ET CANONICVS SANCTI MAXIMI „ Acta Translationis S. Julianæ an. 1207. ap. Capacc. *lib.* 2. *cap.* 20. „ *De* CATHEDRALI ECCLESIA BEATI MAXIMI *gloriosum Corpus* (Julianæ) *effodientes* „ Acta Translationis S. Maximi ejusd. anni 1207. *cap.* 2. *ap. Bollandum.* „ AD ECCLESIAM BEATI MAXIMI MARTYRIS *intraverunt* „ Superdicit Cardinalis Carafa apud Mazochium *de SS. Episc. Neap. p.* 69. „ *Tanti fecere Cumani hunc civem suum, et Martyrem Christi, ut de ejus nomine Cathedralem Ædem adpellaverint* „.

§.43. Translatio Corporis S. Julianæ an. 1207. apud Capaccium refertur. Eodem tempore translatio Corporis S. Maximi evenit. Narrationem conscripsit Petrus Fictarolus Neap. Eccl. Subdiaconus (*Vid.* §. 14.), ex eâque relatâ a Bollando *tom.* 2. *Febr. die* 16. *p.* 883. pauca excerpo „ *Leo Cumanus Episcopus, Domnus Petrus Fictarolus Subdiaconus Ecclesiæ Neapolitanæ, cum quibus etiam Abbates Sancti Petri ad Aram, et Sanctæ Mariæ ad Capellam cum militibus, et probis viris ad Ecclesiam Beati Maximi Martyris intraverunt. Invenerunt Mausoleum ex marmore factum, in quo erant ossa Beati Maximi. Et ecce odor balsami. Foderunt interius, et invenerunt aliud Mausoleum in quo Sancti Pueri erant reliquiæ, quem tres menses habentem Beatus Maximus.*

loqui fecerat coram Fabiano Præside „ Repertæ sunt ibidem reliquiæ S. Julianæ, testante M. S. Capacii *lib.* 2. *cap.* 20. *p.* 275. , et M. S. Caraccioli *cap.* 16. *p.* 161. quin et Acta ipsa Bollandiana id aperte confirmant. Anselmus Neapolitanus Episcopus humeris suis Corpus S. Maximi succollavit, necnon etiam Leo Episcopus Cumanus. At Corpus S. Julianæ in capsula duo Præsbyteri Cardinales sibi imposuerunt. Capacc. *ib. Lect.* 5. *p.* 276. Reliquiæ S. Julianæ in Ecclesia ascetriarum Domnæ Romatæ hic Neapoli collocatæ fuerunt: reliquiæ S. Maximi in Cathedrali Ecclesia quæ tunc Stephania dicebatur. S. Maximo et Puerum adjunctum arbitror.

§. 44. Cum effoderetur Cumis Corpus B. Maximi *odor balsami* diffusus est. Sozomenus *Hist. lib.* IX. *cap.* 2. se interfuisse narrat effossioni reliquiarum XL. Martyrum extra mœnia Cpolis cum Imperatrice, et Episcopo „ *Adstans quidam de familia Imperatoris, tenuem virgulam . . . per foramen immisit, et extractam naribus admovit, et unguentum fragrantissimum olfecit; ex quo statim tum laborantibus, tum adstantibus bona spes suborta fuit . . . . Sub hoc* (operculo) MULTA VNGVENTA; *et in his pyxides argenteæ duæ repertæ sunt, in quibus Sanctæ reliquiæ jacebant etc.* „ Acta hæc Translationis an. 1207. conscripta, et odorem balsami commemorantia, confirmant probatissimam fidem Historiæ nostræ, dum *Sect.* XX. monet CONDITVM fuisse Martyris corpus AROMATIBVS. Immo et dici potest alia unguenta et aromata fuisse reliquiis superfusa, cum Sæc. IV. desinente, aut initiis V. illæ in Cathedralem Cumanam transierunt ex rurali Martyrio. Vid. §. 41. *in fin.* Nam perdurabat quoque mos ille antiquus. Certe S. Julia Martyr passa est captâ a Vandalis Carthagi-

ne. Acta, *ap. Ruinart. Hist. Persec. Part. 2. cap. 5. p.* 219., id expresse dicunt *Sect. 2.* Carthago capta est Octobri an.429. a Geiserico. Sic passa est Julia an.430. Atqui Corpus ejus tunc quoque conditum fuit aromatibus. Acta *Sect. 6. Condientes eam aromatibus posuerunt in monumento cum gaudio magno* „ Nec tamen abnuerem in odoris diffusione prodigium inesse, cum præsertim IX., aut saltem VIII. integra Sæcula a conditura Corporis ad effossionem intercessissent, ac de miraculo vide quæ adscripsimus in Commentariolo §. 38. in fin. Historia etiam confirmatur ex Actis translationis ubi discimus inventionem Corporis pueri trimestris memorati in Passione S. Maximi *Sect.* IX. X. de quo agetur Comment. §. 18.

§.45. Nunc S. Maximi Corpus in Cathedrali Basilica Neapolitana summo in honore habetur. Audiendus Card. Carafa, seu potius Ant. Caracciolus apud Mazochium *de SS. Episc. Neap. p. 68.* „ *Sacras Reliquias hujus Sancti Martyris translatas fuisse Cumis Neapolim anno* 1207. *ab Anselmo Archiepiscopo, et honorifice conditas in Aede Archiepiscopali sub Ara maxima, tradit antiquus Scriptor anonymus. Nunc Caput S. Maximi est in Sacello Thesauri. Videtur in argentea S. Maximi statua conditum, quæ in Sacrario Cathedralis adservatur, et quotannis die festo ejus recurrente venerationi exponitur* „ Pariter Caracciolus *p.* 174. „ *Pretiosa fortissimi hujus Athletæ pignora in Cathedrali Neapolitana religiosissime condita sunt* „ Festus dies ita indicitur in Sanctione Synodali ejusdem Card. Archiep. Decii Carafa 3. Sept. 1619. „ XXX. *Octobris.* MAXIMVS *Levita Cumanus et Martyr. Semiduplex. Omnia de communi unius Martyris* „ Antiquus Neapolitanorum cultus vetustis duobus Kalendariis comprobatur. Vide §. 9.

§.46. Verum et diligentius lubet excutere quanam sub ara Corpus S. Maximi in Cath. Ecclesia Neap. hodie lateat. Nam Scriptor Historiæ Translationis an. 1207. nonnisi Aram maximam Stephaniæ intelligere potuit, quæ tunc erat Cathedralis (olim S. Salvatoris a Constantino adpellata). Porro constat Stephaniam illam esse Ecclesiam, quæ nunc dicitur S. Restituta, quia cum Sæc. XIV. contiguum S. Restitutæ Oratorium concidisset, reliquias S. Restitutæ in Stephaniam invectas putant. Hodierna autem Basilica Cathedralis a Carolo II. Andegavensi constructa est an. 1290. qui aram Stephaniæ primariam eo transulit, ubi nunc surgit ara primaria S. Restitutæ, et olim janua fuerat Ecclesiæ. Anno igitur 1207. cum fuisset sub altari majori Stephaniæ repositum Corpus S. Maximi (ac forsan etiam S. pueri Baulæ), oportuit quoque an. 1290. exinde fuisse translatum cum ipso altari. Jacebat ergo sub Ara maxima hodierna S. Restitutæ, quæ ipsa est antiquæ Stephaniæ nisi quod locum Carolo jubente mutaverit intra tamen eosdem muros. Sæculo XVI. exeunte sub Alphonso Gesualdo Card. Archiepiscopo revera sub ara maxima, quam designavimus, hodiernæ Ecclesiæ S. Restitutæ repertum est Corpus S. Maximi. En tibi *attestationem* Antonii Caraccioli *de Sacr. Eccl. Neap. monument. cap. 15. Sect. 5.* „ *Repertus est sub terram alte defossus loculus marmoreus columellæ marmoreæ superpositus, ossibus et cineribus fere plenus; in quo et phialæ aliquot sacri cruoris, qui ob temporis longitudinem, locique situm in pulverem rubeum jam abierat. Loco item huic propinquo capsa altera erat, qua S. Joannis Episcopi Neap. ossa tegebantur.* „ Antequam ad alia properem, inquiramus, quinam hic fuerit S. Joannes. Non certe

S. Joannes Scriba IV. hujus nominis in Antistitum elencho; is enim sepultus olim in Basilica S. Januarii extramurana, deinde translatus quidem in Stephaniam, sed repositus in Sacello S. Laurentii. Mazoch. *de SS. Episc. p.* 294. An S. Joannes I.? Atque is in Stephaniam translatus cum S. Fortunato PARTI DEXTRÆ (i. e. non sub ara maxima, sed ad ejus dexteram) quievisse narratur Jo. Diacon. Mazoch. ib. *p.* 256. At inde S. Fortunati et S. Joannis corpora in S. Ephebi Ecclesiam (S. Efrimo Vecchio) translata fuerunt, denique detecta an. 1589. Mazoch. ibid. *p.* 236. 237. Perperam ergo judicatum est illa capsa marmorea ossa contineri S. Joannis Episcopi. At ineptius creditum fuit in loculo alio marmoreo conditas S. Restitutæ exuvias cum sacri cruoris phialis. Pergit enim Caracciolus „ *Omnium quotquot illic adfuerunt judicio existimatum est loculo illo marmoreo, tum quia sub ara maxima Templi Restitutæ repertum est, tum etiam quia servatus ampullis cruor martyrium indicabat, B. Virg. et Mart. Restitutæ sacra pignora contineri* „ Omnium quotquot illic adfuerunt judicium unus pro sexcentis validissime subvertit diruitque Mazochius (licet alio scopo sibi proposito hac de re disseruisset) *Kal. p.* 337. „ *Quo sanguinis vascula, si quidem Virgo in mari nullo fuso cruore exanimata fuerit? . . Nec vero dicas, eum cruorem in prioribus suppliciis fuisse sparsum: nam ea extenta tantum in equuleo dicitur sine ulla unguium exaratione, quam Scriptor non omisisset, si tale quidquam passa fuisset. Nec quando de capillo suo suspensa pependit, vulneri locus fuit. Postremo fac in præviis morti suppliciis, sive dum fustibus illa cæderetur, sive quandolibet, tam copiosam sanguinis scatebram ex ea prosiliisse, ut plura inde vascula complerentur: cedo*

jam, quando illa adhuc vivens naviculæ imponebatur, ecquis quæso cruentas ampullas simul in lembum intulit? Carnifices credo id pensi habuerunt. Aut si id ridiculum; anne Africani fideles? nempe eo fine, ut et se cruoris pignoribus spoliarent, et eas ampullas, quas cum corpore mox demergendas scirent, simul perditum irent „ Cum vero nihil cogitaret Cl. Mazochius de S. Maximo, collegit Acta antiquissima S. Restitutæ non esse attendenda, et dicendum potius capite obtruncatam fuisse Restitutam, deinde ex Africa ossa et phialas nostros homines Vandalicis temporibus advexisse. Attamen res ipsa clamat in LOCVLO MARMOREO (sive MAVSOLÆO MARMOREO, sicuti adpellatur Petro Subdiacono) fuisse contentas S. MAXIMI exuvias cum phialis cruentis, quia jam ab anno 1107. sub illa ara fuerant collocatæ. In capsa vero altera, cum S. Joannis Episcopi ossa condi nequaquam potuerint, nihil vetat quin credamus Corpus quiescere S. Restitutæ eodem translatum Sæc. XIV. postquam contiguo S. Restitutæ Oratorio collapso, antiqua Stephania Templum S. Restitutæ adpellari cæpit. De phialis cruentis vide Commentariolum §. 26.

§. 47. Nunc etiam censetur S. Maximus in consessu Divorum Patronorum Ecclesiæ Neap., clientesque suos quotidianis cumulat beneficiis. Ego etiam, qui hoc SVAVISSIMVM LVMEN ECCCLESAE (vid. §. 12.) sub modio latens proferre in apertum summa ope conatus sum, patrocinio me præsentissimo Beati Martyris mirifice adjutum libenter fateor. Eruditos Viros rogo quæsoque, ut ad Acta S. Maximi illustranda ingenii aciem convertant; Martyris potentissimi auxilium audacter omnibus spondeo. Exemplo sit quod accidit cl. Viro Antonio Caracciolo Cl. Reg. Theatino, lectissimo S. Andreæ Avellini discipulo et alumno, qui

annos natus LXXVII. cum illustri sanctimoniæ famâ decessit an. 1642.. Verba adscribo Francisci Bolviti ex *Præf. ad Caraccioli opus posthumum De Sacris Eccl. Neap. Monum*. „ *Die trigesima Octobris an. 1629., qui dies in Fastis Neapolitanis Levitæ et Martyri* MAXIMO *est sacer, cujus ipse* (Caracciolus) *agones tunc scripto tradebat, fulmine de coelo tactum fuit ejus cubiculum* (in domo SS. Apostolorum), *dum ipse ad vitream fenestram legeret. Dei tamen ope nihil læsus. Expiatis statim per confessionem labeculis suis, ad salutarem hostiam liberatori suo litandam se paravit; tantique beneficii memoriam, quoad vixit, recurrente anniversaria die, semper retinuit.*

LAVS DEO, B. M. VIRG., B. MAX.,
ET B. IVLIANAE.



S. Maximus Cuman. M. infantulum trimestrem coram Præside de veritate Relig. Christ. loqui iubet an. 304. Ex act. sinc.

A C T A

IIII. *Kal. Novemb.*

PASSIO S. MAXIMI MART.

1. Temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum sub Antonino Praefecto (*a*) facta est persecutio Christianorum talis, ut circa domum (1), plateas, circa nimphas (*b*) ido-

(1) Leg. *domus*

la erigerentur, ut si quis vellet emere, aut vendere, atque aquam haurire idolis immolaret. In tantum enim diabolus expanderat crines (2) (*c*) ut Christi fidem de omnibus terrae terminis deleret. Insidiabantur fidelibus infideles, et quasi immundum aliquid perhorrebant. Tunc trahebantur viri, ac mulieres, ut diversis suppliciis interirent pro Christi nomine.

2. Interea directus est Fabianus Praeses (*d*) in Cumanam Civitatem (*e*), ut ibi omnes ad sacrilegium provocaret. Cumque ibidem veniret, et pro tribunali sederet (3) jussit omnem populum ad se congregari. Cumque congregaretur omnis populus, ita ad eos loquutus est dicens: *Scitis, quia invictissimi Imperatores Diocletianus et Maximianus me direxerunt in hac civitate ut occidam, et vivificem, humilem* (4) *et exaltem. Et ideo directus sum, ut omnes deos immortales adoretis. Quod si nolueritis, diversis poenis afflicti moriemini.* Audiens universus populus, cadens in ter-

(2) Leg. *fines*, vel *vires*.

(3) Deest in Cod. Casanatensi: De Cod. Casanat. v. quae in calce opusc. adnotavimus; nobis enim dum praelo ista committebantur, innotuit.

(4) Leg. *humiliem et exaltem*

ram adorabant idola surda et muta, et Deum vivum derelinquebant.

3. Erat igitur in eadem civitate vir Sanctus, et Deo dignus, nomine Maximus, religione pudicus et castitate firmus (*f*). Trophaeo crucis armans frontem (*g*) in faciem Praesidis se obtulit dicens. *Audi, Praeses, verba mea, quia non effugies Judicium Dei. Qui* (5) *provocas homines adorare idola surda et muta, qui* (6) *non possunt liberare cultores suos*? Tunc iratus Fabianus ita ad eum exorsus est, dicens: *Cujus patrocinio te muniri existimas, vel cujus conditionis es, ut ita respondeas*? Tunc B. Maximus confidenter ad eum dixit: *Haec est conditio mea, ut idola manu facta respuam, et in Christum credam*. Fabianus Praeses dixit: *Non audisti quia invictissimi Imperatores Diocletianus et Maximianus tradiderunt mihi hanc Provinciam in potestatem, ut hi, qui diis immortalibus sacrificare noluerint, diversis suppliciis crucientur* (7)? Sanctus Maximus respondit (8): *Obmutesce infelix, et no-*

(5) Leg. *Quid*.

(6) Leg. *quae*

(7) In Casanat. *macerentur*

(8) In Casanat. *Audivi et derisi. Favianus Præses dixit cogita de salute animæ tuæ, et adora Deos immortales. Sanctus Maximus respondit: Obmutesce &c.*

li in auribus meis hanc injuriam facere.

4. Tunc iratus Fabianus jussit cum plumbatis (*h*) latera ejus caedi quoad usque spiritum redderet. Cum autem caederetur, manus caedentium deficiebant, et dicebant ad Praesidem: *Vere, Praeses, nos plus torquemur quam iste* (*i*). Tunc Praeses jussit B. Maximum in custodiam recludi quoad usque venirent (9) de diversis civitatibus.

5. Sanctus vero Maximus reclusus per decem dies cibum non accepit, neque aquam (*k*); sed in Domino confortabatur. Et ecce, circa mediam noctem, Angelus Domini (*l*) aperuit januam carceris, et terrae motus factus est magnus, et audita est psallentium vox, et omnia vincula soluta sunt. Et erant in carcere circiter ducenti. Hi omnes prociderunt ad pedes B. Maximi, dicentes: *Succurre nobis famule Dei, ut et nos credamus in Dominum Jesum Christum. Forsitan dimittuntur* (10) *nobis peccata nostra, ut quod* (11) *antea per ignorantiam colebamus, nunc re-*

(9) Leg. *veniret* (scil. ipse Praeses). Caracciol. p. 173. ex Actis Langob. S.Maximi. „*Constringitur in nervo, donec Praeses lustrata Provincia redeat*„.

(10) Leg. *dimittentur*.

(11) Leg. *quam* (scil. *vanitatem*, ut sequitur).

liquentes vanitatem, adoremus Deum vivum. Haec audiens Beatissimus Maximus gratias agebat Domino dicens: *Benedico te, Domine Jesu Christe, qui me dignatus es habere servum tuum. Concede ergo et provide Sacerdotem* (*m*), *per quem hi, qui in te credere desiderant, sua abluant peccata.* Sacerdotes enim dispersi erant propter insidias impiissimi Fabiani.

6. Et ecce apparuit Dominus ad quemdam Episcopum nomine Maxentium, dicens ei: *Maxenti famule meus, non perdis* (12) *mercedem tuam. Surge velociter, et vade ad carcerem, ubi servus meus Maximus vinctus sedet propter nomen meum; sunt enim ibi animae quae in me credunt, et desiderant baptizari.* Haec audiens Maxentius perrexit velociter habens secum mysteria (*n*); et stetit ante fores carceris, et clamans dixit: *Si quis desiderat baptizari, veniat; Sacerdos enim sum Domini mei Jesu Christi.* Et cum hoc dixisset prociderunt omnes ad pedes ejus, et rogabant eum (13) ut baptismum Christi perciperent. Tunc baptizavit eos in nomine Patris,

(12) Leg. *perdes*

(13) Deest in Casanat. usq. ad *baptizavit eos &c.*

et Filii, et Spiritus Sancti, et reversus est in locum suum.

7. Alia autem die nunciatum est Praesidi quod omnes vincti credidissent in Christo. Tunc Fabianus Praeses ne error fieret in populo, jussit omnes vinctos in carcere manere, Sanctum vero Maximum suis aspectibus praesentari. Tunc Fabianus Praeses dixit ad eum (o): *Numquid cogitasti de salute tua, ut sacrifices Diis, et evadas multa tormenta?* Sanctus Maximus respondit: *Hoc est quod tibi saepius dixi, quia non derelinquo Dominum meum Jesum Christum, et adoro idola manu facta*. Fabianus Praeses jussit ante eum carbones ignis poni, ut de duobus unum sibi eligeret, aut ut in ipsis assaretur, aut nudis plantis super eum (14) ambularet. Sanctus vero Maximus trophaeo Crucis frontem armans, nudis plantis super carbones ardentes incedens, dicebat ad Praesidem: *Ecce ego in nomine Domini Jesu Christi ambulo super carbones ardentes, et nihil mali sentio. Tu in nomine Jovis Dei tui pone manum in carbones, et liberet te* (15) *Jo-*

(14) Leg. eos *ita ex Casanat.*, sicut ex Casanat. *Eligerent, assarentur, ambularent*.

(15) Ex Casanat. *Juppiter*.

vis (*p*) *Deus tuus, si potest*. Fabianus vero ita ad eum loquutus est, dicens: *Unde articulum maleficiae* (16) *didicisti*? (*q*) S. Maximus respondit: *Ego quidem maleficia nescio: nam Dominus meus Jesus Christus operatur in me virtutem suam*. Fabianus Praeses dixit: *Consule tibi, et sacrifica Diis, ut evadas multa tormenta*. Sanctus Maximus respondit: *Ego quidem pro Christi nomine mori paratus sum*.

8. Tunc Fabianus jussit eum in equuleo suspendi, et membra ejus scindi. Et cum esset in supplicio, oravit ad Dominum dicens: *Domine Jesu Christe, succurre famulo tuo, et dá mihi immarcescibilem coronam*. Haec cum dixisset, apparuit ei Dominus, dicens: *Noli timere, famule Deus* (17), *Maxime: ego tecum sum in omnibus usque ad consumationem, et ego confundo omnes inimicos tuos, et compleo* (18) *desiderium tuum*. Cum ergo torqueretur, confractum est equuleum, et ministri arefacti sunt: Maximus stabat illaesus.

9. Impius vero Fabianus, non Christi vir-

(16) Ex Casanat. ad. *tuæ*. (17) Leg. *meus* ita ex Casanat.

(18) Leg. *comblebo*.

tute, sed magicis artibus factum credebat, et dicebat ad eum: *Quare tanta maleficia exerces, ut et poenam non sentias, et ministros doloribus torqueas?* Beatus Maximus respondit: *Nunquam dictum est quia maleficus aliquando non potuit sentire poenam. Sed ut manifestetur tibi fides Domini mei Jesu Christi, fac adduci infantem trium mensium de platea, et secundum ejus sententiam* (19) *sequi debemus* (r). Tunc Praeses direxit ministros ut infantem adducerent. Cumque exissent ministri, invenerunt infantem super brachia matris suae, et adduxerunt eum. Mater vero ejus sequebatur eos ejulans. Tunc introduxerunt infantem in praetorio ante conspectum Praesidis. Fabianus dixit: *Ecce Maxime, adductus est infans, sicut dixisti*. Sanctus Maximus respondens dixit infanti: *Tibi infans....* (20) *per Dei sapientiam, qui aperuit os muti, et linguas infantium facit disertas, ut dicas Praesidi omnem veritatem de Christi fide, et de idolorum cultura*. Tunc respondens infans dixit: *Audi, Praeses, verba mea, et noli dubitare*

(19) Ex Casanat. *veritatem credas, quam sequi*.

(20) Lacuna supplenda verbis *praecipio, dico, impero*, aut similibus; ex Casanat. *dico*.

aliquid de me, cum sim infans. Deus omnipotens loquitur per os meum, quia ipse est sempiternus et verus. Ipse fecit saecula, et ipse nos redemit per Passionem suam, unde meruimus vocari nomine Christiani. Ipse dat pluvias in tempore; ipse regit regna, imperia (21); *ipse est adorandus, non idola manu facta, idest lignea et lapidea, aurea et argentea, marmorea et fictilia, quae neque videre possunt et audire, qui* (22) *non possunt liberare cultores suos* (23). *Et cum sit Lapis, ab homine componitur* (24); *figet* (25) *genua ante simulacrum dicens; Deus meus es tu, salva me; et nescis infelix quia Deus in caelis est, et habet ipse potestatem super omnem creaturam? Nunc ergo audi me, et crede in Christum, qui mihi dedit fiduciam loquendi, ne forte cum Diis tuis demergaris in infernum.*

10. Haec audiens Praeses tremefactus est, et ne seditio fieret in populo, jussit infantem caedi, dicens ei: *Quis te docuit haec verba loqui?* Puer autem respondens dixit Praesidi:

(21) Leg. *et imperia*. Ita ex Casanat.

(22) Leg. *quae* ex Casan.

(23) *Heic deficit Codex Casanat.*

(24) Leg. *compositus*.

(25) Leg. *figis*.

Infelix et miser, non sentis opera Christi; cum sim infans trium mensium, quem necdum decet ætatem (26) *loqui? Quis magistrorum me potuit discere vel docere* (27)? *Vel quis doctor qui linguam meam poliit, nisi Deus omnipotens, qui dat innocentibus astutiam, puero autem juniori sensum et cogitationem?* Praeses vero cum haec audisset, jussit infantem torqueri, et cum torqueretur, dixit matri suae: *Mater, da mihi aquam bibere*. Mater vero ejus dixit ei: *Fili noli jam istam aquam bibere, sed aquam illam bibe caelestem, ubi sunt omnes innocentorum animæ, qui pro Christi nomine passi sunt. Et rogo, te, Domine meus qui meruisti coronam martyrii, ut cum veneris in regnum Domini Dei tui, memor sis mei. Credo enim in Christo Jesu, quia per te dimittuntur peccata mihi*. Infans vero haec audiens, in pace exhalavit spiritum. Tulitque eum Mater ejus gaudens eo, quod meruisset de suo fructu offerre Domino innocentem hostiam.

11. Fabianus tremens dixit: *Maxime, quamdiu maleficia exerces et non sacrificas Diis?* Sanctus Maximus respondit: *Gratias ago*

(26) Leg. *per aetatem*.
(27) Leg. *docere vel biscere?*

Domino meo Jesu Christo quod infantem coronavit ; nam tu , Praeses , nihil quaeris ; ego enim semper Domino meo sacrifico . Cumque hoc audisset Fabianus , jussit eum capite verso septem dies suspendi quoad usque de naribus ejus sanguis stillaret in terram . Et post septem dies venerunt milites decem et octo videre exitum Martyris Christi , et invenerunt eum psallentem et dicentem ; *Domine salva me de ore leonis , ut enarrem nomen tuum fratribus meis* . Ad haec verba milites caeci facti sunt . Tunc ait ad illos Beatus Maximus dicens : *Credite in Dominum Jesum Christum , et continuo illuminabuntur oculi vestri* . At illi audientes , ceciderunt in facies suas , dicentes : *Famule Dei , ora pro nobis ; credimus enim in Dominum Jesum Christum* (*s*) . Cumque nominarent Jesum Christum , continuo aperti sunt oculi eorum , et baptizavit eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti , et cum illo se mori fatebantur .

12. Nunciatum est hoc Fabiano Praesidi , et jussit ut illi ducenti , qui in carcere crediderant , et milites simul omnes capitalem subirent sententiam . Et ducti sunt ad supplicium gaudentes . Omnes simul decollati sunt pro Christi nomine (*t*) , et corpora eorum jacue-

runt in platea multis diebus, et neque a canibus neque a volucribus tacta sunt. Tunc Christiani corpora eorum cum grandi diligentia sepelierunt, atque optime collocaverunt. Sanctus vero Maximus gratias agens Domino. Fabianus autem Praeses dixit ad Martyrem Christi: *Usque quo permanes in malitia tua? Sacrifica jam ut maximum honorem habeas ab Imperatore nostro* (u). Sanctus Maximus respondit: *Ego semper sacrifico Deo meo; nam non adoro idola manu facta, de quorum imaginibus plateae sternuntur, et fustra sculpuntur* (28). *Surda sunt quidem, et omnes qui in ipsis credunt*.

13. Tunc Fabianus jussit lampades ardentes in lateribus poni (v). Et cum factum fuisset, flamma exiliens multos ex ministris concremavit. Sanctus vero Maximus illaesus stabat, multique videntes credebant in Christo Jesu. Praeses autem jussit eum iterum in carcerem mitti. Sanctus vero Maximus psallebat dicens. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os dolosi et peccatoris super me apertum est. Loquuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expu-*

(28) Leg. *frusta scalp. Stulta sunt &c.*

gnaverunt me gratis : Adiuva me, Domine Deus meus, ut in me non glorietur inimicus.

14. Alia vero die jussit eum impiissimus Fabianus produci de carcere. Et cum esset productus, ait ad eum Fabianus: *Maxime, quid cogitasti de salute tua? Ecce direxerunt invictissimi Principes, ut honoreris. Quod si renuere volueris, gladiatores te percutient (x), et carnes tuas tradent volatilibus coeli et bestiis terrae (y). Vide ergo; cogita quid facturus sis, ut evadas multa tormenta.* Sanctus Maximus respondit: *Dona Imperatorum tuorum cum ipsis sint in perditionem. Nam ego Dominum Jesum Christum adoro, qui mihi donat meliora. Nam quod mihi promittis tu, iniquitas est.* Fabianus Praeses dixit: *Multum te sustineo. Deum enim Asclepium timeo (x), et ipsi do claritatem. Adora ergo eos (29), qui tibi corpus et animam dederunt.* Sanctus Maximus respondit: *Insanis Fabiane: quid loqueris blasphemiam?*

15. Fabianus vero jussit eum flagellis caedi quoad usque videret fluvium sanguinis ejus in terra manere (30), et jussit sanguinem ejus in terra manere. Terra vero non susci-

(29) Leg. *Deos*.
(30) Leg. *in terram manere*.

piebat sanguinem Martyris Christi . Tunc dixit ad Praesidem (*aa*) . *Aspice, Fabiane, et vide, quia sanguis iste in testimonium erit, cum venerit Dominus Judicare terram, qui vobis praeparavit ignem ardentem, atque inextinguibilem, ubi poena non minuetur, et vermis non morietur. Nam plagas* (31), *quas mihi intulisti, non infirmitatem sed fortitudinem mihi intulerunt*. Audiens haec Fabianus tremefactus praecepit ut levaretur a caede, et dixit: *Ecce quanta mala tibi ostendi. Poenam non sentis: per maleficia infantem loqui fecisti: meos ad te convertisti: milites autem separasti. Quid aliud es facturus, nisi deponere incredulitatem tuam, et adores Deos, ut* (32) *habeas magnum honorem in Palatio Diocletiani et Maximiani* (*bb*)? Sanctus Maximus respondit: *Erubesce, impie Fabianae. Impetatores tui sacrilegi non poterunt te liberare de poena aeterna. Exerce quidquid potes* (*cc*).

16. Tunc videns Fabianus constantiam Beatissimi Martyris decrevit (*dd*) dicens: *Quoniam si iste vixerit multos per sua maleficia separabit a Deorum cultura*. Et ante ipsum dictavit sententiam (*DD*) dicens: *Impium Ma-*

(31) Leg. *plagae*.
(32) *Ut adores Deos, et habeas*.

ximum rebellem Deorum, et blasphematorem Imperatorum nostrorum, eo quod Diis sacrificare noluerit, jubemus eum capitalem subire sententiam, et corpus ejus tradi volatilibus cœli et bestiis terrae (ee).

17. Tunc venerunt milites, et ejecerunt eum foras extra civitatem millia duo, ut ibi eum decollarent (*bb*). Sanctus vero Maximus psallebat in via, dicens: *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, et non potuerunt mihi: Dominus vero in omnibus adjuvit me. Et iterum: Christus mihi vita est, et mori lucrum*. Et cum venisset ad locum praeparatum, ubi debuit decollari, omnis populus sequebatur videre exitum Beatissimi Maximi. Et cum Sanctus Dei Maximus figeret genua (*gg*) fudit orationem ad Dominum, dicens: *Domine Deus omnipotens, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem; nunc ergo, Domine, exaudi orationem meam, et aperi oculos cordis istorum, ut cognoscant quia tu es Deus adorandus et colendus, quia non est alius praeter te*. Cumque complesset orationem, accessit unus ex militibus ibi astantibus, et decollavit eum. Et statim terrae motus factus est magnus (*hh*) Omnis populus cum haec vidisset, credide-

runt in Domino, et clarificaverunt eum, quoniam magnus est, et timuerunt nomen Domini Jesu Christi; et simul omnes unanimiter baptizati sunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, veneratique (33) sunt omnes in fide, et dixerunt timore concussi: *Vere unus est Deus Christianorum. Credimus ei. Hymnum referimus Christo (ii)*. Erant enim gaudentes et exultantes in Domino Jesu Christo, cui se exhibuerunt esse servos. Miratique sunt milites, quoniam viderent mirabilia, et terrae motum esse factum, et crediderunt in Dominum Jesum Christum, et baptizati sunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti confitentes peccata sua, et recedentes ab eorum (34) cultura;

18. Tunc omnes credentes in Christo sepelierunt corpus Beatissimi Maximi cum magna diligentia, atque optime collocaverunt in locum qui vocatur Via Caballaria, in quo loco multa beneficia usque nunc ostendit; caeci illuminantur, leprosi mundantur, daemonia expelluntur, debiles accipiunt virtutem, et Gentiles perveniunt ad fidem.

(33) Leg. *renatique*. (34) Leg. *a Deorum*.

19. Interea praesentati sunt omnes Sacerdotes Ecclesiis Dei, quia (35) metu persequutionis dispersi erant. Post annos autem quindecim latebant reliquiae (*kk*) Beatissimi Maximi; scriptum est enim. *Non potest latere civitas supra montem posita*. Et iterum: *Veniet tempus ut corpora Sanctorum moveantur de locis suis*. Sanctus vero Maximus apparuit cuidam mulieri religiosae et metuenti Dominum, dicens ei: *Juliana, surge velociter, et annuncia Sacerdotibus ut tollant reliquias corporis mei. Ego enim sum Maximus Confessor Dei* (*ll*), *qui pro Christi nomine passus sum in hac civitate, et corpus meum remansit in agro, sunt hodie anni quindecim*. At illa tremefacta dixit: *Nescimus locum, ubi te requiramus*. Qui respondens dixit ei: *In agro innocenti* (36), *ubi videritis Crucem, ibi requirite* (*mm*).

20. Surgens quoque mulier indicavit Sacerdotibus. Tunc exivit omnis civitas (*nn*) psallentes et benedicentes Dominum, faculas habentes in manibus. Et fodientes invenerunt corpus Beatissimi Maximi post annos quindecim integrum, et candidum velut nix et con-

(35) Leg. *qui a metu*. (36) Leg. *Innocentii*.

diderunt (37) illud aromatibus (*oo*), et omnes dederunt gloriam Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto qui Sanctos suos coronat. Passus est Beatissimus Maximus Quarto Kalendas Novembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, et imperium in saecula saeculorum. Amen (*qq*).

(37) Leg. *condierunt*.

AD PASSIONEM SANCTI MAXIMI

COMMENTARIOLUS.

§. I. Antiquitatem Actorum satis superque in Prodromo adseruimus, eaque rati sumus conscripta anno circiter 347. *Vid. ib.* §. 19. Peculiares nunc observationes, Actorum seriem sequuti, hoc deproperato Commentariolo complectimur, eo potissimum directas, ut coæquale, aut saltem suppar martyrii temporibus Monumentum, interque sincerissima jure merito adnumerandum adstruamus. Sectiones Commentarioli ita disponam, ut non interrupto tenore perlegi, et adnotationum more ad historiæ textum relatæ consuli, ubi oportet, facile possint. In ipso titulo Historiæ nostræ vestigium elucet antiquitatis. Inscribitur enim „ PASSIO S. MAXIMI MART. Pariter S. Pontius Diaconus egregium coævumque libellum de S. Cypriani Martyrio inscripsit „ *Vita et* PASSIO *S. Cæcilii Cypriani Episcopi Carthaginensis, et Martyris* „ Quare Lucas Holstenius ad Acta elegantissima SS. Perpetuæ et Felicitatis ap. Ruinart. *p.* 89. ita commentatur. „ *In M. S. Casinensi nullus adparet titulus: ideoque hactenus curiosos scrutantium oculos elegantissimum hoc Sacræ antiquitatis monumentum subterfugisse existimo. Ego Augustini auctoritate* PASSIONEM *inscripsi; ita enim ipse vocat locis supra relatis in Psal.* XLVII. *et serm.* 3. *prout sine dubio tunc in fronte multorum exemplarium hujus Opusculi, quæ passim exstabant, legebatur, et solebant illic similia scripta sic inscribi, ut intelligimus ex Martyrio S. Cypriani a*

Pontio Diacono descripto, et aliis id genus. „ S. Cæsarius Arelatensis Episcopus infirmis consilium dedit, ut quando PASSIONES *prolixæ* in Ecclesia legebantur, sederent. Vide ejusd. *Serm.* XCV., qui est CCC. *in Append. Opp. S. August. Edit. Maurin.* Vide et reliqua in Præf. Ruinartiana *ad Acta Martyrum* §. 1.*n*.5.*p*.IV.V.

(*a*) §.2. Evicimus in Prodromo §. 24. *ad* 26. pro ANTONINO legendum hic videri ANOLINO, quia instigante Diocletiano, obsequente et jubente per Italiam Maximiano Herculio cæpta est persecutio Christianorum an. 304. sub. edicto P. Cornelii Anolini Præfecti Prætorio Italiæ, eidem Maximiano a Consiliis. Concinnator Actorum S. Pontiani memoratus quoque *in Prodr.* §. 28., historiam hanc nostram expilans, pessimaque fide S. Pontiano gesta S. Maximi adscribens, ANTONINUM hic Imperatorem, non Præf. Præt. sibi videre visus est.

(*b*) §.3. In Persecutione X., quam describit Cumanus Notarius, *circa domos, plateas, nymphas idola erecta sunt, ut si quis vellet emere, aut vendere, atque aquam haurire, idolis immolaret*. Nymphæ hic lymphæ sunt, vel Nymphæa, sive aquarum receptacula, ut colligitur ex posteriori commate AQVAM HAVRIRE. Tractus autem Cumanus aquis calidis abundat, et nymphaeis, pariter cum adfini Puteolano. Raynerius Auctor Sæc. XII. *in Hist. Translat. SS. Eutychetis et Acutii ap. Falcon. Act. S. Jan.p.*182. „ *Quæ* (Urbs Puteolana) *præclaris ædibus in Campaniæ finibus antiquitus enitens, sicut adhuc in ruderibus ædificiorum veterum cernitur, vigentibus paganorum ritibus tanto frequentabatur accessu innumero, quanto illic delectabilium thermarum populus pene ubique dispersus* (sibi) *placebat lavacro*. „ Porro in ther-

mis Æsculapii et Hygiæ simulacra adponebantur; quibus sacrum a Lavantibus fieret. Acta primigenia S. Patricii Episc. Prusensis ap. Bolland. 28. *April.*, qui Martyr anno Christi centesimo passus. „ *Sub Præside Julio Proconsule, quum is ex idolorum insania laboraret, ad therma veniens Aesculapio et Hygiæ sacrificavit; atque ubi se in calidæ scaturigine recreasset, statuit sibi tribunal, ac sedens Sanctum Patricium ad se perduci jussit.* „ Cumis nostris Aesculapium quoque fuisse cultum observabimus mox §. 25. Nemini autem, tradente Hagiographo Cumano, emere aut vendere licebat nisi qui idolis immolasset. Ita accidit quod S. Joannes prædixit, *Apocalyps. cap.* XIII. v. 16. 17. „ *Nulli licebit aliquid emere vel vendere, nisi qui habuerit characterem bestiæ in fronte sua et in manu sua.* „ Circa Diocletiani tempora, ejusque persecutione potissimum sæviente artificium hujusmodi ad Christianos vel detegendos, vel profligandos invectum est. Euseb. de Martyr. Palæstinæ Cap. IX. §. 26. „ *Præsides, ipseque Præfectus Prætorii, propositis edictis, et epistolis, ac publicis jussionibus, instabant Curatoribus civitatum, et magistratibus ac tabulariis, ut Imperatoris* (Maximini) *præceptum exsequutioni mandarent, quo jussum erat, ... ut cuncta in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinarentur, et ante publicas balneas quasi in insidiis collocarentur custodes, qui lavantes illic homines, sordesque corporis expurgantes, exsecrandis sacrificiis macularent* „ Acta Sancti Caii ap. Caracc. *Sacr. Eccl. Neap. Monum. Cap.* XVII. *p.* 164. „ *Occiso Carino ad Murgum*, (*an.* 285.) *Maximo et Aquilino Coss., tam immanis exorta est persecutio, ut nulli quidquam vendere vel emere liceret, nisi parvis quibusdam statuis*

eo in loco positis, ubi emendi gratia conveniendum esset, tura incenderent. Tum etiam circa insulas, vicos, et aquas positi erant Compulsores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi potestatem facerent, nisi (iis) *qui idolis libassent* „ In pulcherrima Homilia S. Basilii *in S. Cord.* hæc eadem traduntur „ *Tota urbe* (ait) *præconis tuba sonabat, toto foro, et per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Christum adoraret.... Idola proponebantur adoranda ab omnibus etc.* „ Atque idem testantur Acta SS. Guriæ, et Samonæ Martyrum penes Caracciolum *cap.xx. sect. 9. p.* 245. Probabile est Fabianum dum esset urbi Præfectus, hac arte usum, deinde cum Consularis Campaniæ Cumas adventasset, non diversas insidias Christianis parasse. Sic etiam confirmatur eumdem fuisse Fabianum Præsidem qui prius fuerat urbi Præfectus: quod coniecimus *Prodromi* §. 30.

(*e*) §.4. *Diabolus*, pergit Hagiographus de Persecutione agens, *expanderat* CRINES. Novitate locutionis offensus FINES rescribebam, scil. diabolus civitatis suae pomaeria dilataverat, longius imperii sui fines produxerat. Verum si cui propositum fuerit mor. dicus lectioni Veteris Codicis inhærere, subsidia non deerunt. Rarissima, et prope singularis loquutio illa est, attamen vetustatem sapit. Nemo Cl. Mazochio penitius in stylum S.Ambrosii introspexit. Is vero in *Appendice Ambrosiana ad Kal. p.* 995. *n.* 3. ex *Apologia Davidis n.* 14. recitat „ *Ne te* CRINICULIS *erroris involvat* „ Item hæc adfert ex Epistola quadam Ambrosiana „ *Depositis capillis, id est peccatorum* CRINICULIS „ Adde etiam locum egregium *De Parad. Cap.* XI. „ *Si Eva... accensas habuisset* (Virginum prudentium)

faces, numquam prævaricationis suæ nos CRINICVLIS *implicasset* „ Ambsosiani saporis phrasim Notarius Cumanus adhibens proxime Ambrosianam ætatem attigisse credendus est, neque extra Sæc. IV. cancellos eiiciendus.

(*d*) §.5. De Fabiano Præside, seu potius Consulari Campaniæ nihil est quod addam, postquam in Prodromo §.27. ad 30. animadvertimus hunc plenis nominibus fuisse M. Junium Maximum Fabianum, Præfecturam Urbis gessisse annis 286. 287., Consulem processisse eodem anno 287., Præsidem in Venetam regionem fuisse directum an. 289., ut denique an. 304. Campaniæ Consularem.

(*e*) §.6. Propria Consularis Campaniæ sedes, sive Metropolis regionis nostræ Capua fuit. Adscribam judicium Cl. Mazochii in hisce antiquitatibus (et quibus non?) versatissimi. „ *Rectoribus provinciarum Metatores præibant, qui sedes venturo Præsidi metarentur. Et quidem pluribus in provinciis liberum rectoribus erat, ubicumque collibitum fuisset, demorari. Ceteroqui si metropoleos habenda ratio fuerat; Capuae subsistere debuisset* (S. Paulinus Consularis an. 379.); *quam tunc etiam Campaniæ fuisse metropolim, tritissimus S. Athanasii locus testatur* „ Hæc ille *Kal. p.* 987. *n.* 4. Tanti Viri testimonium pro justa Dissertatione est. Cur ergo potissimum Fabianus Præses in Cumanam Civitatem directus est? Cur primum hac in Urbe flamma persecutionis erupit in damnatione S. Maximi, qui Protomartyr Campaniæ sub Diocletiano dicendus? Difficultatem agnovit Lectionum Capuani Breviarii consarcinator Sæc. VIII. aut IX. saltem Acta nostra in compendium redigens, de quo conf. *Prodrom.* §. 3. Pro illis „ CUMANAM CIVITATEM „ substi-

tuit CAMPANAM CIVITATEM, Capuam scil. regionis metropolim. At monumenta certissima, ipse etiam Breviator, diserte perhibent S.Maximum Cumis passum: nec est propterea cur de Capua cogitemus. Auctor coævus Actorum S. Januarii Bononiensium *sect.* 1. Christianos Cumis difficile in publico fuisse visos hoc tempore adfirmat, quia Cumæ ob tumulum Sibyllinum nobilium Ethnicorum frequentia adfluebant. Locum attulimus, atque emendatum expendimus in *Prodromo* §. 17. Exinde Joannes Diaconus. qui ineunte Sæculo x. Acta S. Sosii sincera licenter corrupit (vide ibid. §. 14.) videtur sua illa effutiisse „ *In oppido Misenate potissima incubuerat persecutio, quia illic celebris paganorum frequentabatur occursus propter vatis Sibyllæ sepulcrum haud inde longe discretum* „ Joannes ubi hic de Miseno loquitur proprie de Cumis est intelligendus. Siquidem ante ipsius tempora unitæ jamdudum fuerant Ecclesiæ Cumana, ac Misenas *ob vicinitatem locorum, et quod non tanta esset populi multitudo*, S. Greg. Magn. *lib.* 2. *epist.* 25. *et* 45., Asseman. *de Reb. Neap. tom.* 1. *cap.* 17. *p.* 531. Verum si Ethnicorum ad Sibyllinam Basilicam frequentia, sæviente persecutione, Christianos ad latibula adegit, ut optime ratiocinatur Scriptor Actorum S. Januarii primigeniorum, ineptissima nihilominus adparet Joannis Diaconi adseveratio Cumis potissimum persecutionem incubuisse, quod Ethnicis ad Sibyllinum tumulum confluentibus tererentur: nisi dicere voluit, hujusmodi superstitiosos viros denunciationibus, largitionibus, et suadela Præsidem ad ferociendum incitasse: quod tamen historia silet. Ego vero aliam omnino, atque oppositam viam insistendam arbitror, si rem acu tangere velimus, veramque rationem rimari, cur

potius Cumis quam alibi in Campania persecutio cœpta sit. Cumas *amœnum secessum, vacuamque urbem* dixit Juvenalis, *quietam* Statius. In ipsa Campania *nihil hac orâ secretius* pronunciabat Mazochius. *Vindic. Act. S. Jan. p. 67. in not.* Atque infelicibus semper hominibus hunc securissimum patuisse asylum alicubi Tacitus, et S. Ambros. *lib.* VII. *epist.* 57., aliique docent. In Diocletianea persecutione plura Christianorum millia in Campaniam secessisse profuga, duce Chromatio, antiquæ Historiæ narrant. Vide Caracc. *Sacr. Eccl. Neap. Monum. p.* 164. Prodigiosa erat persecutorum sævitia, ut vel fortissimos concuteret. „ *Carceres olim homicidis et sepulcrorum expilatoribus deputati, tunc Episcopis, Presbyteris, Diaconis, lectoribus, atque Exorcistis complebantur; adeo ut iis qui ob crimina condemnati fuerant, nullus jam locus superesset*. Euseb. *Hist. lib.* 8. *cap.* 6. Hæc Magistratus: nunc quid insania etiam privata gereret, præstat graphice exprimere verbis Actorum S. Theodori Ancyrani Mart. *ann.* 303. *ap. Ruinart. p.* 297. §. 5. „ *Suæ prosperitatis excessum portare non valentes impii, ac nimia malitia velut mero ebrii, omnia quæ insani furentesque solent, agebant et patiebantur. Etenim irrumpentes in domos nulla adparente ex caussa, obvia quæque diripiebant, neque injuriam ferentium aliquis audebat ipsis se opponere: nam si vel verbo obloqueretur quispiam, reus agebatur insolentiæ ac seditionis... Christianorum nemo adparebat in publico: palam autem expilabantur eorum ædes, prodebantur amici, calumniam patiebatur religio, mulieres ingenuæ virginesque a lascivis hominibus inverecunde raptabantur.... Deerat fugitivis salutis locus, et ab aris recesserant Sacerdotes, derelinquentes vestibula Ecclesiarum: dumque eorum fa-*

cultates impiis essent expositæ ad rapinam, omni supplicio gravior digressis instabat fames. Per totam quippe vagantes solitudinem, et in spelæis atque cavernis, ut quisque latebram invenerat, se continentes, non poterant diu tolerare esuriem, quin multi se comprehendendos præberent, misericordiam se consecuturos rati. Grave ergo fugitivis ipsius fugæ malum, ingenuis præsertim atque in multa rerum adfluentia enutritis, qui olim nullius indigi, nunc radicibus vescebantur et herbis „ Atque ut ad Cumanum secessum regrediamur, cur putas S. Januarium Beneventanum Episcopum, S. Festum ejus Diaconum, et S. Desiderium Lectorem, necnon et S. Sosium Diaconum prope Cumas illis diebus (Miseni scil.) latitasse? De S. Sosio ita habent Acta sincera S. Januarii *Sect.* 1. „ *Venerabilis Sosius propter metum paganorum non facile in publicis locis videbatur* „, et mox de reliquis „ *Se occulte invicem visitabant* „ Denique in fine ejusd. Sect. „ *Sancti difficile in publico videbantur*, Docent ipsa Acta nostra *Sect.* XIX. *Sacerdotes metu persecutionis dispersos* scil. per Cumanum agrum et solitudines, nam certe latitans Maxentius statim adfuit e proximo ad baptizandos cathecumenos in carcere. *Sect.* 6. Ergo Campania, ac territorium præcipue Cumanum profugis Christianorum turmis implebatur. Hinc persecutor acerrimus Fabianus Cumas primum accessit, ubi Christianos ex latibulis trahere, et diversis suppliciis adficere constituerat.

(*f*) §. 7. Paucis elogium S. Maximi absolvitur; *Vir Sanctus dignusque Deo* pronunciatur h. e. martyrio. Passim in Actis martyrii præmium describitur sanctimoniæ morum fuisse collatum. S. Maximus pudicitiâ candidissimâ enituit, quam Tertullianus *de Pud.*

cap. 1. merito nuncupavit *principalem Christiani nominis Disciplinam*. Dixi in Prodromo §. 6. illa alia „ *religione pudicus*, *et castitate firmus* „ idem sibi velle, ac si scriptum esset „ *cum religione*, *et curâ summâ pudicus*; *nec non firmus*, *stabilis*, *inconcussus in castitate* „ Consimili modo in Actis coæqualibus S. Januarii *Sect.* 1. legitur „ *In Ecclesia* . . . *Misenatæ Civitatis erat Diaconus nomine Sosius*, *Vir prudentiæ sanctitate* FIRMISSIMUS „ Doctissimus Mazochius maluit reponere *Vindic. p.* 20. *n.* 11. „ *Vir prudentia et sanctitate firmissimus* „ Interpretatus vero est „ *Vir firmissimus scientia et Sanctitate* „ Deinde *p.* 56. τὸ *Firmissimus* explicavit *Gravissimus* ἐρρ'ότατ⊚. At melius fuerit scripti Codicis auctoritatem tueri, ac τὸ *Vir prudentiæ* accipere *de Viro sapienti*, sicuti Petrus Subdiaconus pro *Viro callido*, Virum dixit *calliditatis*. Adi *Prodrom.* §.5. Hodie etia m dicimus vulgo *Uomo di senno*, *di prudenza &c.* Exempla hujuscemodi loquutionis non raro occurrent in scriptis, et marmoribus ævi Constantiniani, immo et superioris.

(g) §.8. Fabiano Præsidi strenuus pugil Maximus audacter sistit se. Idcirco *Lumen Ecclesiæ* salutavimus, *Prodromi* §. 12. Sic enim tenebras ethnicismi, quæ cathecumenos, debilioresque Christianos minabantur, egregia virtute dissipavit. Agnosce illustrissimum Christianæ fortitudinis exemplum. Christiani, ait Lactantius *de Mort. Persec. cap.* XI. *libenter moriebantur*. Sulpic. Sever. *hist. lib.* 2. „ *Christiani certatim tam gloriosa in certamina ruebant* „ Mensurius tamen Carthaginensis Episcopus honores denegavit his *qui se offerrent persecutoribus non comprehensi*. S. Augustin. *Brevic. Collat. cum Donat. die* 3. *cap.* 13. Concilium Eliberitanum *can.* 60. vetat in nu-

merum Martyrum recipi, qui idola confregissent. Audas Episcopus cum templum gentilium in Perside incendisset, notatur non immerito, quod proinde Isdigerdes Rex horribilem in Christianos persecutionem suscitavit. Vide Theodoret. *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 18. Lactantius *de Mort. persec. cap.* 13. de edicto persecutionis Nicomediæ per Diocletianum proposito „ *Quod edictum quidam*, ETSI NON RECTE, *magno tamen animo diripuit, et conscidit, cum irridens diceret, victorias Gothorum et Sarmatarum esse propositas: statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus* (i. e. lenta combustione in craticula. Videsis Mazoch. *Vind. p.* 114. *n.* 10. Adde Acta S. Fausti *p.* 470. *Eugenius . . . jussit eos legitimo igne comburi* „) *cum admirabili patientia postremo exustus est*. „ Narrat idem facinus Eusebius Cæsariensis *Hist. lib.* 8. *cap.* 5., et Martyrem *zelo divino commotum, et ardore fidei incitatum deprædicat*. Nomen Martyri Joannem fuisse testantur Ado, Usuardus, aliique ad diem 7. Septembr. Suspicatur Henschenius fuisse celeberrimum S. Georgium, sed suspicionem diluit Ruinart. *Act. MM. p.* 269. *not.* 5. At plane rectius S. Cyprianus persecutione instante, Christi Domini præceptum de quærendis latebris prudentissime exsequutus est. Elegantissime S. Pontius *Vitæ et Pass. S. Cypr. cap.* 7. „ *Dicata enim in omnibus Deo mens, et sic divinis admonitionibus mancipata, credidit se nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare*. „ Ut ergo hoc in negotio viam mediam tutissimi teramus, dicere oportet non probandam audaciam ultro se ad tormenta ac supplicia offerentium, nisi et caussæ rationabiles præsto sint, quibus non præcipitanter ac temere sed ad

confirmandos in fide Christianos, Ethnicosque errori subducendos Martyrium fuisse susceptum adpareat. Immo et Martyris exitus præcipue spectandus est: neque enim Deus culpabilem confidentiam et procaciam coronare umquam potuit. Pretium operæ me facturum arbitror si adponam verba Passionis S. Polycarpi §. IV., seu celeberrimæ illius Epistolæ Smyrnensis Ecclesiæ, qua nihil pulcrius exstat in tota Antiquitate Christiana. „ *Tunc unus Cointus* (Rufin. habet Cherintus) *nomine*, *Phrygius*, *superveniens forte de patria*, *pronus ad patiendum voluntate festinans*, *cruento judici se securus objecit*. *Sed voluntatem vicit infirmitas*. *Missis namque ad se feris*, *et ipso adspectu timore perculsus*, *cœpit nolle quod voluit et conversus ad diaboli voluntatem*, *probare illud quod venerat destruendum*. *Huic itaque Proconsul multis pellectionibus sacrificare persuasit*. *Ideo non eos fratres laudare debemus qui se ultro offerunt*, *sed eos qui inventi latentes in passione potius perseverant*. *Sic nos namque evangelicus sermo confirmat*, *et hoc hortatur exemplo*, *quo vidimus cessisse ultroneum*, *et vicisse compulsum* „ Non abludit Epist. Eccl. Viennensis et Lugdunensis de Martyrio S. Pothini Episc. et aliorum ap. Ruinart. *p.* 53. §. 4. „ *Qui vero imparati et inexercitati*, *nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum*, *tunc manifeste patuerunt* (i. e. se obtulerunt) *Ex quibus decem circiter collapsi*, *maximum nobis dolorem et incredibilem luctum attulerunt*, *et aliorum alacritatem fregerunt &c.* At contra qui se ultro offerunt, et martyrii coronam nanciscuntur divino spiritu acti putandi sunt. Sic S.Thelica Athleta fortissimus *cum carnifices starent sævientes* ... *subito sese per medium* ... *tormentis ob-*

jecit, et clamavit: Christiani sumus nos. Acta S. Saturnini §. 5. *p.* 340. Non dissimili alacritate S. Emeritus ad certamen exsiliit, *ibi p.* 342. §. 10. Sancta etiam Eulalia versibus aureolis Prudentii celebrata *περὶ ϛεφάνων Hymn.* 3.

Mane superba tribunal adit
Fascibus adstat et in mediis
Vociferans. Rogo quis furor est
Perdere præcipites animas....
Quæritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? En ego sum
Dæmonicis inmica sacris;
Idola protero sub pedibus,
Pectore et ore Deum fateor.

Memoria dignissimum facinus S. Euplii Diaconi in Actis §. 1. *p.* 361. „ *In Catanensium civitate, cum esset extra velum secretarii Euplius diaconus proclamavit, dicens: Christianus sum, & pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Calvisianus Consularis dixit: Ingrediatur qui clamavit &c.* „ Sanctus quoque Arcadius *jam pleno martyrii ardore fervens, continuo latebras, quas aliquandiu foverat, deseruit, nolens.... Christi confessionem diutius dissimulare....In urbem igitur rediens voluntarie se Rectori provinciæ obtulit.* Acta §. 2. *p.* 467. Item S. Domno Bergomensis, de quo Ferrar. *die* 5. *Januar. p.* 7., Domnionem avum imitatus, rebus suis compositis, et Eusebia sorore herede instituta in Maximiani Imp. persecutione, Præsidem sponte adiit, & se Christianum libere professus est. Ne longum faciam, sexcenta enim exempla hujusmodi in Historia ubivis occurrunt; illud certum est Sanctos Thelicam, Emeritum, Eulaliam, Euplium, Arcadium, Domnonem, ceterosque hujusmodi, ut ni-

hil dicam de SS. Apollonia, necnon et Adaucto, martyrium fecisse, et perseverasse usque in finem, quare illos Divino impulsu ad præclara facinora adactos non credere nefas est. Cum ergo perspiciamus S. Maximum Cumanum rationabili urgente caussa Præsidi se obtulisse, eumque postea in agone extremo victorem ac triumphatorem Christus auxilio suo indesinenter foverit, nulla omnino superest dubitatio, ac suspicio de prudenti ac cælesti illo consilio, quo vitam abdicavit, meruit coronam Campaniæ Protomartyr. Antequam hinc discedam, loquutionem Notarii Cumani adnotare oportet, quam non nisi Constantinianis viguisse temporibus fateberis, ac propterea antiquitatem Actorum nostrorum egregie vindicare. Obtulit se S. Maximus Præsidi Fabiano TROPÆO CRUCIS ARMANS FRONTEM. Cruciatus, mortem ipsam Martyres omnes impetunt Crucis signo muniti. Hoc solemne et perpetuum est quolibet in certamine. Utinam et hodie cum Sophistis persecutoribus pugnaturi, aut in mundum, diabolum, carnem arma sumpturi triumphalis signaculi Christiani immemores non essent! Ast ad leviora illa revertor. Crucis TROPÆUM INCLYTUM veneratur hymnis vetustis Ecclesia. Eusebius *Vit.* Constant. *lib.* IV. *cap.* 21. SALUTARIS TROPÆI SIGNUM Crucem Dominicam adpellavit. Signum TROPÆI DOMINI vocant Acta S. Fructuosi §. 4. *p.* 192. In Actis SS. Petri et Marcellini §. 3. *apud Dominic. Georg. in Adon.* „ *Adest homo Dei Petrus . . . habens in manu sua* TRIUMPHUM CRUCIS „ In Actis S. Juliæ M. (an. 430., de quibus relege Prodrom. §. 44.) etiam vetus dictio repræsentatur *Sect.* 4. „ *Dominus meus propter me spinis est coronatus, et* TROPÆUM CRUCIS *suscepit* „ S. Ambros. de S. Hagne hæc habet *de Virg.*

lib. 1. „ *Parata . . . tendere Christo inter ignes manus*, *atque* . . TROPÆUM DOMINI *signare* VICTORIS. „ Huic phrasi originem dederunt Constantini victoriæ per Crucis vexillum relatæ. Consule Mazoch. *Kal. p.* 489. Itaque non nisi scriptorem temporum illorum Cumanum fuisse Hagiographum tenemus, qui TROPÆUM Crucis hic, et *Sect.* 7. nominavit.

(*b*) §.9. Plumbatis latera S. Maximi cæduntur. Quid sint plumbatæ docebunt Gallon. *de Mart. Cruciat. lib.* 1. *cap.* 4., et Emin. Baron. *ad Martyr. Rom. die* 6. *Jun.* Flagella nempe fuerunt ex funiculis catenis, aut loris, quibus in summitate glandes plumbeæ, aliquando etiam æneæ, adligabantur. Propterea, ni fallor, catenas adpellavit Prudentius περὶ στεφάνων *hym.* XI. *v.* 55.

Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.

Indicat hoc idem *hymn.* X. v. 116. „ *Tundantur, inquit, terga crebris ictbus Plumboque cervix verberata extuberet*. Supplicium fuit plerumque plebejorum. Vide *Prodrom.* §. 8. In cœmeterio S. Hermetis plumbata reperta olim fuit. Boldett. *Obs. in Cœm. lib.* 1. *cap.* 46. *p.* 243. Plumbatarum ex museis imagines repræsentarunt Arevalus *ad Prudent. hymn.* XI. *not.* 57. *tom.* 2. *p.* 1169., *et ibid. tab.* XXVI. *fig.* 6., nec non Paulus Antonius Pauli in *Notitiis S. Feliciani Mart.* 1796. *pag.* 63. Nec sine attentione prætermittenda est Fabiani jussio, qua voluit Martyrem plumbatis tundi QUOAD USQUE SPIRITUM REDDERET. De more scilicet. Apud Bolland. 14. April. tom. 2. p. 208. „ *S. Maximum militem cornicularium jussit* (Præses) *plumbatis cædi* DONEC EXSPIRARET. Eadem concepta verba occurrunt in *Martyr. Rom.* 19. Jun. „ *Protasium* (præcipiet) *Astasius judex plumbatis cædi* DONEC EXPIRARET. „

(*i*) §. 10. Tortores vapulante S. Maximo exclamant lassati „ *Vere*, *Præses*, *nos plus torquemur quam iste* „ Non solum hæc ictus plumbatarum infinitos a Martyre perpessos demonstrant, sed invictam quoque Martyris constantiam. Gravissime S. Cyprianus in Act. Montani §. 21. *p.* 207. „ *Alia caro patitur*, *cum animus in cœlo est*. *Nequaquam corpus hoc sentit*, *cum se Deo tota mens devovit* „ S. etiam Felicitas in Actis *Sect.* 15. *Modo ego patior*, *quod patior*, *illic* (in agone) *autem alius erit in me qui patietur pro me*, *quia et ego pro illo passura sum* „ Passim videas in historiis Martyres sævissima tormenta non sentire, ipsos lassare tortores. Adtexam locum non inelegantem Actorum S. Vincentii §. 5. *p.* 325. „ *Tandem cessavere torti carnifices*, *et defatigata lictorum manus*, *dum per Sancti latera pendet*, *victa defecit*. *Expalluit torquentium vultus*; *fortium robur emarcuit*, *sudorum rivis liquescentia membra tabuerunt*: *anhelum pectus fessis intremuit*, *ut putares eos potius in tormentis Sancti Martyris torqueri* „ Acta S. Saturnini §. 6. *p* 341. „ *In suis tormentis magis ipse Anulinus torquebatur* „ Acta S. Victoris §. 14. *p.* 261. „ *Fustibus nervisque taureis atrocissime cruciatur*: *inde victis tortoribus revocatur ad carcerem* „

(*k*) §. 11. Detrusus pariter post verbera in carcerem S. Maximus *per decem dies cibum non accepit*, *neque aquam*. Animadvertes quæcumque omnia de Passione S. Maximi narrantur ingenium referre et indolem sævissimæ persecutionis Diocletianeæ. Denegantur Christiano alimenta. In persecutione Licinii monet Rufinus *Hist. lib.* 9. *cap.* 10. edicto cautum, ne iis qui in carcere detinebantur cibus potusve ministraretur; quare, ait, *multitudines in carcerem retrusæ inedia necabantur*. Sed et idem sub Diocletiano fa-

ctitatum narrant Acta S. Restitutæ Sect. 1. „ *Dioclctianus* (præcepit) . . *ut Christi Cultores . . . igne , ferro ,* FAME *ceterisque pœnarum generibus laniando trucidarent.* Mox *Sect. 7.* „ *Judex jussit eam catenis vinctam in tenebroso carcere trudi , et omnem* HUMANITATEM *penitus ab ea arceri* „ Humanitas dicitur cibus et potus , ut recte explicat in Not. Jacobus Castellius *p.* 114. In Actis SS. Firmi et Rustici §. 2. *p.* 546. „ *Jussit* (Anolinus) *ministris* suis , ut *adligarent Sanctos Martyres . . et perducerent eos in Veronensium civitatem ; et præcepit , ut neque panem , neque aquam gustarent* „ De S. Eutychio Mart. Carmen exstat S. Damasi .

Carceris inluviem sequitur nova pœna : per artus
Testarum fragmenta parant , ne somnus adiret :
Bis seni transiere dies , alimenta negantur .

S. Victor natione Maurus sub Maximiano sex diebus in carcere absque cibo et potu coërcitus est . Testantur Acta Maximiani Notarii apud *Sur. tom.* 2. *die* 8. *Junii* . Inferebatur quidem panis fiscalis aliquando , sed perexiguus . Egregius plane ad rem locus exstat in Passione SS. Montani et Lucii §. 9. *p.* 203. „ *Altera die . . . exspectantes eramus horam illam , quando fiscalis non cibus , sed penuria et necessitas inferretur , quia cibus nullus suberat : nam et altera die jejuni manseramus* „ At jubente Præside S. Maximus totos decem dies mansit in carcere jejunus . Anne hoc sit miraculorum in censu habendum , hæret aqua . Fortunius Licetus negasset , qui docte edisseruit *De iis , qui diu vivunt sine alimento* . Pontificio etiam jussu Beccarius et Bazzanus Academiæ Bononiensis Philosophi Clarissimi evenire hoc posse judicarunt, ut quis totos per annos absque cibo et potu vitam protrahat stomacho atque intestinis arescentibus . Vide quæ disputat Cl. Franc. Emmanuel Cangiamila

in Synopsi Opuscul. Siculorum tom. XII. *an.* 1771. *p.* 313. 314. At manifeste Acta nostra S. Maximum edicunt sine alimentis vixisse *quia in Domino confortabatur* scil. quia vires a Domino ad hæc fortier toleranda accipiebat. Quod si miraculum non admittis, at plane constantiam Sancti Martyris admirari omnino cogeris.

(*l*) §.12. Nunc vere miraculum Acta exhibent. Angelus januam carceris recludit, vincula dissolvit, cantica audiuntur, tremit terra. Nec miraculum fructu caret. Nam ducenti homines prodigio perculsi ad Christi Religionem convolant. Christus, Apostoli, Martyres, miraculorum adjumento bruta ingenia mortalium evangelicis præceptis doctrinisque subegerunt. Ergo aut hæc negabis, aut nihil Acta continere profiteberis quod præter Divinæ Gratiæ regulas consuetas evagetur. Adpono historiam nostræ perquam simillimam ex Actis genuinis S. Quirini §. 3. *p.*438. „ *Media autem nocte adparuit splendor magnus in carcere: quem cum vidisset Marcellus custos personarum, aperuit carcerem, et prostravit se ad pedes Beati Quirini Episcopi, dicens cum lacrimis: Ora pro me Dominum, quia credo non esse alium Deum, nisi quem tu colis. Multum autem hortatus est eum Beatus Episcopus, et consignavit eum in nomine Domini nostri Jesu Christi.* „ Parum absunt quæ narrant Acta SS. Firmi et Rustici §. 2. *p.* 546., Acta S. Restitutæ Virg. Mart. Soranæ ap. *Ferrar. die* 27. *Maii p.* 319., nec non S. Restituti Martyris Romani, *ibid. die* 29. *Maii p.* 342. Addenda insuper Acta S. Dionysiæ *an.* 200. §. 3. *p.* 136. quæ de Angelo ait „ *Iste est tutor meus et custos* „ Acta S. Victoris §. XI. *p.* 260. De Angelis Martyres confortantibus relegi quoque merentur Acta SS. Tryphonis et Respicii *p.* 139. §.5.

Videatur denique præ aliis ceteris Passio S. Vincentii §. 8. *p.* 327., ubi res miræ omnino gemellæ habentur his quæ Hagiographus noster prodidit. Audi insignem Criticum Mazochium, *Kal. pag.* 119. „ *Nihil est causæ cur critici fastidiosiores, ubicumque Angelorum ministerio tormenta sive minui, sive etiam non persentisci, aut omnino Angeli cælitus demissi leguntur, ea protinus nauseabundi tamquam portentosa repudient. Atqui Martyrum Duci Christo non alia de causa* APPARUIT ANGELUS CONFORTANS EUM, *nisi uti discamus, quid qui ei* συμπάσχουσι (*compatiuntur*) *exspectare debeant.* „

(*m*) §. 13. Postquam ducenti illi homines, qui cum Sancto Maximo detinebantur baptismum concupiverunt Maximus a Jesu Christo Sacerdotem petit, per quem illi abluerentur. *Sacerdotem* hic Episcopum intellige, (quæ propria est vocabuli in antiquissimis auctoribus significatio, unde et Actis Cumanis novum adquiritur vetustatis indicium. Victor Vitensis *lib.* 5. *cap.* 18. *n.* 201. Episcopos dixit *Sacerdotes* adnotante Ruinarto *p.* 88. 89. „ *Sacerdotis nomen frequentius olim Episcopis, quam presbyteris tribuebatur ut videre est in Glossario Cangiano, et passim apud auctores antiquos. Sic auctor vitæ S. Fulgentii... Eum Sacerdos consecrat Presbyterum &c.* „ Sic et Sacerdotes accipio Sect. 18. At *Sect.* 20. aut presbyteri sunt, aut potius omnes *primi*, *secundi*, *ac tertii Sacerdotii* homines, i. e. Episcopus, presbyteri, ac diacones, ut Optatus Milevit *lib.* 1. distinxit. Hic tamen Sacerdos est omnino Episcopus. Revera adest petenti Maxentius Episcopus habens secum mysteria, de quibus mox disseremus, omnesque illos in SS. Trinitatis nomine baptizat (*Sect.* 6.) qui deinde

(*Sect.* 12.) pro Christo decollati sunt cum XVIII. militibus. Ergo S. Maximi constantia non minus quam CCXVIII. alios Martyres Christo peperit, qui paullo ante erant ethnici, immo ob crimina in carcere tenebantur. Sapienter Theodoret. *de Legib. serm.*IX. „ *Cum occiderentur Christiani, multo plures ad doctrinam evangelicam accedebant: cruorque ille cæsorum irrigatio quædam erat neophytorum.* „ Magnanima illa vox Tertulliani ad præsides *Apolog. cap.* 5. „ *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos... Plures efficimur quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum.* „ Ipsos etiam persecutores Martyrum patientia ad Christum pertraxit. S. Augustin. *in Psal.* 118. *Serm.* 31. At illud hic nobis obiter adnotandum venit, S. Maximum ex eo quod Sacerdotes ad baptismum conferendum desideravit, quodque baptismum deinde non ipse, at Maxentius Episcopus ministraverit, non posse credi in Levitico ordine constitutum. Episcopo enim adnuente rite Diaconus baptizare potuisset. S. Cyrill. *Hieros. Catech.* XVII. *n.* 35. Tertullian. *de Bapt. num.* 17. Concil. Eliberit. *can.* 87. Gelasius Papa *Decr. cap.* 7., S. Hieronym. *Dial. contra Lucif. cap.* 9. Ita accipimus locum obscuriorem Constitutionum Apost. *lib.* VIII. *cap.* 28., quam rerum Ecclesiæ priscarum synopsin auro contra non caram deosculor, ubi Auctor negat Diaconum baptizare. Cum igitur latitarent Sacerdotes, facultatem baptizandi S. Maximus facile ab Episcopo Maxentio obtinuisset, neque oportuisset ipsum Episcopum divinitus admonitum ex latibulo prodire et ad carcerem accedere. Nam quod subjungitur *sect.* XI. S. Maximum quoque baptizasse, glossema est omnino scripturæ primigeniæ insertum, ut ostendemus §. 17.

(*n*) §.14. Maxentius Episcopus ad baptismum conferendum attulit secum MYSTERIA. Elucet hac loquutione Actorum nostrorum antiquitas perquam veneranda. Quævis res arcana symbolica *μυςήριον* audiebat, quod feliciter Casaubonus *Exerc. Baron.* XLIII. derivat ex Hebr. מסתור *mystur h. e. res abscondita*. At de baptismo usurpatum vocabulum majoribus nostris peculiariter fuisse probandum est. In Passione S. Genesii Mimi *Sect.* 2. *p.* 237. „ *Evocato, scribitur, presbytero et exorcista, repente* (Genesius) *Deo inspirante credidit. Nam illi juxta lectum ipsius cum resedissent, dicunt ei: Quid ad nos misisti, filiole? Genesius jam non simulate ac ficte, sed ex puro corde respondit: Quia accipere cupto gratiam Christi, per quam renatus liberer a ruina iniquitatum mearum. Cumque Sacramentorum* MYSTERIA *complessent, et indutus vestibus albis esset &c.* Baptismum etiam Prudentius *mysticum lavacrum* adpellat *περὶ στεφ. hymn. 6.*, *mysterium* Niceph. Callixtus *Hist. Eccl. lib.* 3. *cap. ult.* Zacharias Pontifex in Epist. anni 748. *apud Cang.* v. *Mystericus* „ *Adfirmat sine* MYSTERICA *invocatione et lavacro generationis posse fieri Catholicum Christianum* „ S. Gregorius Nazianzenus *Orat-* 39. *p.* 632., *eos* qui baptismum ministrant vocat „ *οἰκονόμους του μυστηρίου*, *dispensatores mysterii*. *Divina mysteria* eosdem *contrectare* dixit Chrysostomus *tom.* 5. *homil.* 71. (*θείων ἅπτεσθαι μυςηρίων*). Utique Sacramenta omnia mysteria adpellabantur. Hinc in versione vetusissima S. Paulli *ad Corinth. Epist.* 1. *cap.* 13. v. 2. ubi nunc *mysteria* legimus, olim *sacramenta* legebatur. Adisis Drowenium *de Re Sacram. lib.* 2. *cap.* 1. §. 1 *n.* 2. Berti *de Theol. Discipl. lib.* 30. *cap.* 1. *prop.* 2. Nimirum generaliter hoc vocabulo signa quævis necessaria

in Sacramentis comprehensa sunt. S. Augustin, *Epist.* 5. *ad Marcellin.* „ *Signa quum ad res divinas pertinent* MYSTERIA *adpellantur* „ Nam ex disciplinâ arcani signa hæc manebant occultissima. Potest quoque dici baptismo mysterii adpellationem inhæsisse eo quod post baptismum Eucharistia reficiebantur neophyti. Vide Juven. *Dissert.* IV. *de Euch. qu.* 6, *cap.* 1. Exscribam fragmentum Actorum Veterum S. Maximi Presbyteri etiam sub Diocletiano passi relatum a Petro de Natalib. *lib.* 3. *cap.* 134. „ *Censurinus Christianus capitur, et Ostiam deducitur. In Ostia erat Maximus presbyter, et Archelaus diaconus, et Maximus et Archelaus dum cum Censurino sermocinarentur, et in hymnis et orationibus Dominum collaudarent, quoniam impetraverant a custodibus cum eo colloqui, subito divino nutu soluta sunt vincula quibus Sanctus Censurinus fuerat alligatus. Quo facto obstupefacti custodes baptizati sunt a Maximo presbytero, et erant decem septem, Felix, Maximus, Faustinus . . . Et post triduum facto ieiunio baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et a fonte sacro eos Beata Aurea suscepit. Postea Cyriacus Episcopus eos chrismate consignavit, et participati sunt* SACRA MYSTERIA *Corporis et Sanguinis Domini* „ Suspicor et hic non pauca emblemata fuisse adjuncta; at illa certe antiqua sunt, baptizatos, chrismate postmodùm inunctos, sacra mysteria Corporis, et Sanguinis participasse. Rem conficiunt elegantissima *Acta* VII. *Christi Athletarum Hipparchi et Sociorum, qui passi sunt Samosatæ sub Maximiano* „ Hic enim titulus historiæ præfigitur apud Asseman. *in Act. SS. Mart. Orient. tom.* 2. Verba sunt hujusmodi. „ *Dixit Hipparchus: Annus volvitur tertius ex quo baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti a*

Jacobo veræ fidei Sacerdote suscepimus, qui et Christi Corpus et Sanguinem identidem impertire non desiit... Ea Sociorum alacritate mirifice læti Hipparchus et Philotheus epistolam suo anulo obsignatam per Hipparchi servum ad Jacobum Sacerdotem Domini mittunt in hæc verba: Tu vero quanto citius venire ne graveris, simulque VRCEVM AQVAE, HOSTIAM, ET CORNV OLEI VNCTIONIS *tecum perferre memineris. Quæ cum Jacobus legisset, incredibili lætitia adfectus est... et continuo* SACRVM APPARATVM *pallio suo obvolvit, et ad viros illos profectus est... et baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, eisque continuo Corpus et Sanguinem Christi impertiit et iis peractis sacrum adparatum collegit, pallioque involutum domum reportavit magna dissimulatione atque celeritate usus.*

(o) §.15. *Numquid cogitasti de salute tua, ut sacrifices diis et evadas multa tormenta?* Verba sunt Præsidis Martyrem commonefacientis, sicuti in more fuisse positum demonstravit Barn. Brissonius de Formulis. Nos formulam latius illustrare satagemus, non enim hinc ponderis mediocris argumentum fluit ad vindicandam nostræ historiæ sinceritatem. Syllabum subiicio hujusmodi admonitionum ex Actis Martyrum sinceris. Acta S. Bonosi §. 1. p. 520. PARCE SVPPLICIIS TVIS. S. Quirini an. 304. p. 439. §. 4. et verbis totidem in Act. S. Vincentii §. 6. p. 326. TE HORTAMVR VT VIVAS. S. Irenæi an. 304. p. 357. LVCRARE MORTEM, et p. 358. CONSVLE TIBI. Parilis sermo occurrit in Passione S. Tarachi p. 383. 386. 387. S. Epipodii et Alexandri an. 128. §. 8. p. 66. S. Fausti p. 470. S. Saturnini an 304. §. 16. p. 345. Neque aliter in Actis S. Claudii an. 285. §. 5. p. 235. SACRIFICA UT POSSIS EVADERE TORMENTA et p. 224. NOLI IU-

VENTUTEM PERDERE. In Actis S. Petri Balsami an.311. §. 1. p. 442. MISERERE TUI. Acta S. Tryphonis et Respicii an. 250. p. 139. §.6. CONSULITE ÆTATI VESTRÆ. In Actis M.S. S. Barbaræ, quæ integriora edemus ex Cod. nostro Vibinate „ *Martianus Præses dixit*: SERVA ANIMAM TVAM,„ quam formulam commemorat quoque verbis totidem Tertullian. in Apolog. Ex his datur intelligere quid sibi velint in Actis nostris admonitiones sect. VII. NUMQVID COGITAS DE SALUTE TUA, CONSULE TIBI, denique sect. XIV. MAXIME QVID COGITASTI DE SALUTE TUA?

(*p*) §.16. Carbones accensos Martyr calcare jubetur, Præsidem ad similia provocans, et superdicens nobilissima audacia „ *Liberet te* JOVIS *tuus si potest*„ Vidimus hæc sublegisse compilatorem Spoletanæ historiæ de cruciatibus S. Pontiani. *Prodrom.* §. 28. Alioqui non infrequens supplicium hic describitur, incessus nempe super carbones. In Actis SS.Claudii et Asterii *an.*285. §.2. *in fin. p.*234. „ *Lysias dixit: Carbones ignis substernite pedibus ejus: virgis autem et durissimis nervis dorsum ejus et ventrem contundite. Cumque factum fuisset; Asterius dixit. Cæcus es in omnibus. Hoc autem a te peto, ut nullam partem corporis sine plaga dimittas inlæsam. Lysias dixit: Custodiatur cum ceteris.* „ Ac ne te diutius in percurrendis Sanctorum Actis detineam, satis erit Lactantium tibi sistere unum pro sexcentis, qui *de mort. Perscut. cap.* 21. ista loquitur „ *Cum deligati fuissent, subdebatur primo pedibus levis flamma tamdiu, donec callum solorum contractum igni, ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces et exstinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida,*

et os humore abluebatur, *ne arescentibus siccitate faucibus*, *cito spiritus redderetur* ; *quod postremo accidebat cum per multam diem decocta omni cute*, *vis ignis ad intima viscera penetrasset*. *Hinc rogo facto cremabantur*. *Corpora jam cremata* , *lecta ossa* , *et in pulverem comminuta jactabantur in flumine ac mari* „ Hic LEGITIMUS IGNIS dicitur in Actis S. Fausti, quo Martyres LEGITIME COQVEBANTUR , sicuti idem loquitur Lactantius. *Vid. sup.* §. 8. Neque enim *legitima tormenta* cum Ruinartio *magna* explicaverim. *Actor. p.* 326. 470. sed lenta, et ad legis regulas exacte irrogata. Verum in adlocutione Martyris nostri minime prætereunda sunt illa „ *Liberet te* JOVIS *tuus* „ quippe quæ vetustatem Actorum non parum adserant . Similiter et JOVIS recto casu *ἀρχαικῶς* attamen *ἰδιωτικῶς* effertur in Actis SS. Marci , et Marcellini desumptis ex Passione S. Sebastiani *sect.* 41. Ac licet Mazochius *Kal. p.* 678. Hygini atque Apuleii auctoritatem advocet, nihilominus certum habeo plebeium fuisse hoc loquendi genus tempore Diocletiani, cum et alia plebeja in Actis nostris subinde occurrant, ut sect. 7. *Articulis maleficiæ*, et sect. 10. *animæ innocentorum* , ac similia. Plebem longe aliter loquutam olim Latine ac scribebant, eruditis in comperto est. In fæce autem popularis sermonis ingens vocabulorum veterum numerus fluebat, quem cura atque elegantia scriptorum damnaverat. Si conlibertos in Petroniana Trimalchionis cœna garrientes audire velis (quæ Neapoli habita fingitur Domitiani ætate, ut Jo. Antonius frater meus eruditissimus optime evicit in Diatriba quadam M. S.); si denique veteres, præsertim Christianorum, inscriptiones percurras, facile mecum senties. Præstabit relegere

celeberrimam Instructionem Commodiani sub Diocletiani tempora conscriptam, ut familiares popularibus loquutiones, stylum, formulas mente concipias. Quod si in Actis S. Maximi hic sermo regnat, non abnues vere profluxisse illa a Gestis Præsidalibus, et genuina putanda est verborum ταυτότης, quæ ab ipso ore Præsidis, Martyris, ceterorumque exciderunt: Nisi quod alicubi Notarius Cumanus, cum Acta in Christiana Ecclesia legenda adornaret, Biblicas quasdam dictiones et phrases usurpare maluit. Vide §. 22.

(q) §.17. *Unde articulum maleficiæ didicisti?* Ita hic Præses. Passim in Actis nostris maleficia ethnici suspicantur. Vide *Sect.* 9. 11. 15. Calumnia alioqui satis vetusta in Christianos, unde etiam frequentia miraculorum in Ecclesia contra hujus temporis moriones nequissimos confirmatur. De maleficii imputatione ista erudite disseruit noster Mamachius, vix ut supersit spicilegio locus. Pauca addo, ne discedam ἀσύμβολος. Scilicet hæc illa est συκοφαντία μαγείας *calumniosa magiæ accusatio*, quam Christo etiam Domino objectam conqueritur S. Ignatius *Epist. ad Philipp.* Christiani in carcere diligentissime servabantur. Verebantur custodes *ne subtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis*, ut tradunt Acta S. Perpetuæ *Sect.* XVI. In Passione SS. Firmi et Rustici *Sect.* 1, *p.* 545. milites ad Rusticum „ *Numquid et tu in hac Magica perseveras?* „ Christianam ipsam Religionem Disciplinam Magicam rebantur. Populus quoque *ibid. Sect.* 2. *p.* 547. contra Martyres ad Anolinum clamat. TOU LE MAGOS, TOLLE MALEFICOS. Pariter Judaei et Gentiles SS. Bonosum et Maximilianum tormentis inlæsos mirati „ *Clamare cæperunt*: ISTI MAGI ET MA-

LEGII ,, Acta Passionis §. 2. *p.* 521. Hoc sensu accipienda est *Sacrilegii* accusatio Christianis impacta, nam sacrilegos vulgo Magos dicebant. Acta S. Eusanii edita hic Romæ an. 1749. a Josepho Coppola Episc. Aquilano p. 106. §. 5. ,, *Tunc Rex vehementer admiratus, fecit Beatum Eusanium studiose requirere, et invenerunt eum populum prædicantem. Reversi verò exploratores dixerunt Regi: Invenimus hominem, quem reclusimus in carcere, populum prædicantem, et nullam læsionem in se habebat. Tunc Priscus repletus furore dixit: Heu me victi sumus per Eusanium* SACRILEGUM ,, Priscus hisce in Actis Rex Aviensis adpellatur (De Aveia consule Prodrom. §. XI.); sed coniecit Coppola Regem ab inscito Hagiographo dictum, qui Priscus fuit Consularis Piceni an. 290. ut habetur in Actis S. Anthimi, ac propterea etiam Aveiam in Vestinis imperio rexit. De Actis S. Anthimi, et Prisco Consulari videatur Mazoch. *Kal. p.* 516. *et seqq.*

(r) §. 18. Pulcherrima nunc historia narratur infantis trimestris, quem Deus loquentem fecit de veritate Christianæ Religionis. Nativa styli simplicitas ingenuam redolet veracitatem. Scio quid Critici obiicient: rem eamdem a Prudentio describi in passione S. Romani Martyris Antiocheni, *περὶ στεφ. hymn.* 10. *v.* 646. *sqq.*, quodque magis est in Homil. 48. Sancti Joannis Chrysostomi, immo et in Actis Mombritianis, in Martyrologiis plerisque, et in *serm.* 50. Eusebii Gallicani *Bibl. PP. tom.* 5. Duæ S. Joannis Chrysostomi (ut a graviori auctoritate exordiar) supersunt Homiliæ de S. Romano Martyre, scil. 43. *et* 48. Homilia vero XLIII. totam S. Romani passionem accurate complectitur, neque ulla ibi mentio de loquela infantuli. Hanc Homiliam consentiunt eruditi omnes

Chrysostomo dignissimam ; at contra Homilia XLVIII. in qua de infante narratio texitur inter supposititias rejecta est. Stylo certe diversissimam a reliquis omnibus Chrysostomi judicavit callentissimus harum rerum arbiter Henricus Valesius *ad Hist. Euseb. p.* 175. Martyrologia porro, et Eusebius ille Gallicanus, quisquis fuerit, longe posteriores sunt Prudentio, ab eoque notitiam hauserunt, sicuti Acta Mombritiana quæ cum manu medica indigerent noluit Ruinartius inter sincera referre *p.* 314. *n.* 1. Recidit ergo narrationis fides tota in unum Prudentium. Atqui Prudentius gesta S. Romani ita confudit, ut Cardinalis Baronius putaverit ex duobus Christi Athletis unum poëtice conflasse. Deinde contra Prudentium, satis opinor fuerit opponere auctoritatem S. Joannis Chrysostomi Præsbyteri, olim Antiocheni inque rebus illius Ecclesiæ, immo et universæ peritissimi. Quid quod Prudentio antiquior Eusebius Cæsariensis non semel gesta S. Romani diligentissime prosequutus, numquam omnino de infante illo fante meminerit? Descripsit Historicus summæ fidei passionem S. Romani in libro *de Martyrib. Palæstinæ cap.* 2. *n.* 5., et in opere *De Resurrect. et Ascens. Dom. lib.* 2. *edit. Sirmundianæ*. Loquitur de S. Romano Theodoretus *epist.* 135., nec de infante loquente loquitur. Prodigium tam illustre non præteriissent silentio Eusebius, ac Theodoretus in conquirendis quæ ad gloriam Christi et Martyrum faciunt studiosissimi. Denique Prudentium hac in re liberius poësi usum, neque omnino credibilia narrasse in comperto est. Quis crediderit Asclepiadem Præsidem jussisse pro tribunali pusionem tolli sublimem ut nates manu pulsarentur? Hæc ille *v.* 96. 97. Sed age, concedamus. At nullo modo concedi potest puerum *la-*

ctentem (v. 667., et 700.) *carcere clausum* (v. 794.) Agnoscit ipse Prudentius *v.* 677. innocenti ætatulæ vim per leges inferri non licuisse et statutum revera est *l.* 1. §. *impuberi ff. de S. C. Syllan.*, quare Anulinus S. Hilarianum puerum minis terrere satis habuit. In Act. S.Saturnini. Quis credat insuper Præsidem dictasse illam sententiam? *v:* 823.

Gladius recidat vile vix hominis caput

Infantis: *istum* (Romanum) *flamma vindex concremet*.

Quis credat matrem vilem mulierculam v. 691. puero lactenti infantique diutissime atque eruditissime loquutam de Isaaco et Machabæis, deque innocentibus Betlehemitis *v.* 721. *ad* 790. Præside tolerante? Denique quis credat matrem ipsam sinu gestasse damnatum infantem, poscenti Carnifici dedisse, recisum caput gremio excepisse? *v.* 827. 831. 845. Aut Prudentius vulgari traditione deceptus dicendus est, aut nos voluisse fabulis decipere. Absit ut sycophantam suspiceris Auctorem probatissimum. Ergo traditione deceptus est: atque incerta traditio veram historiam a Sancto Maximo ad Sanctum Romanum transtulerat. Quod si regeras infantem potuisse loqui et in S. Romani et in S. Maximi passione, series narrationis obstabit utrobique concors excepto solum exitu pueruli. Hagiographus Cumanus et Prudentius exacte conveniunt in omnibus. Uterque scribit Martyrem Judici proposuisse ut infans puer de Religione interrogaretur; accepta conditione puerum infantem inter brachia matris adductum; Martyrem interrogasse; puerum statim de veritate Christianæ Religionis, et de idolorum vanitate disseruisse; interrogasse Præsidem quisnam talia doceret infantem; reposuisse hunc se a

Christo doceri: denique puerum ferociente Præside insano tormentis admotum sitisse: Matrem dehortatam a bibendo ac proposuisse nato suo cælestis aquæ cogitationem. Conveniunt etiam Hagiographus, et Prudentius in materno illo sermone „ ROGO TE DOMINE MEUS..... UT CUM VENERIS IN REGNUM...MEMOR SIS MEI. Ita Acta *sect.* x. quæ pariter Prudentius *v.* 831.

....*Vale*, *ait*, *dulcissime*:

MEMENTO MATRIS JAM PATRONE EX FILIO.

Revocant hæc in memoriam quod Angelus Aglaidi Matronæ de S.Bonifacio dicebat. *Actor.S. Bonif.* §. 16. *p.* 254. „ *Aliquando servum tuum nunc autem nostrum fratrem suscipe siccut dominum* (δεσπότην) *et reconde bene. Per ipsius enim interventionem universa peccata relaxabuntur tibi.* „ In eo Acta nostra a Prudentiana lyra dissonant quod fabulosa prætermittunt, nec nates pulsatas referunt, nec pupulum carcere clausum, nec dissertationes a matre habitas, nec denique solemni sententia Præsidis damnatum pusionem, et capite cæsum. Jam hinc non parum auctoritatis Historiæ nostræ accedit, quæ verisimilis ubique decurrit. Quid nativius illis? *Sect.* IX. „ *Mater vero ejus sequebatur eos* (milites puerum abducentes) *ejulans.* Quid similius vero, quam cæsum infantem (virgis scil.) *dum* postmodum *torqueretur* (equuleo) tantis cruciatibus imparem *exhalasse in pace spiritum*? *sect.* x. At magis magisque auctoritatem Actis nostris conciliat cana et veneranda Antiquitas. Scripta enim fuerunt an. 347. Vide *Prodr.* §. 19. Prudentius vero natus est anno insequenti 348. Consule Salia, ut ipse testatur in *Præf. Cathemerin.* Ex passione igitur S. Maximi orta traditio, et in vulgus divagata, nescio quomodo annis procedentibus S. Romani gestis cohæsit;

atque ita ab origine prima difformis a Prudentio accepta, ac poëticis ornatibus onerata est. Nescio an eadem traditio sit, quæ passioni SS. Marci et Marcelliani adjecta fuit in Basiliano Menologio; nam deest certe in Actis sinceris eorumdem Martyrum. Vide Mazoch. Kal. *p.* 681. Idem tamen est Fabianus judex Marci et Marcelliani, qui S. Maximum damnavit. Adisis Prodrom. §. 30. Miraculum pueri ita recitat Menologium „ *Dum vero cruciarentur* (Martyres), *puer parvulus, qui forte aræ sacrificiorum adstabat, Præfectum, quod injuste ageret, objurgavit. Quare is vinctus, atque flagellis concisus inclusus est in custodiam* „ Quidquid horum sit, constabit opinor viris doctis aurea simplicitas et veracitas Actorum nostrorum, si Acta Inventionis ac Translationis S. Maximi sincerissima et coæva relegere non gravabuntur Prodromi §. 43. „ *Foderunt interius, et invenerunt* (sub ara maxima Eccl. Cath. Cumanæ an. 1207.) *aliud Mausolæum, in quo* SANCTI PVERI *erant reliquiæ, quem tres menses habentem Sanctus Maximus loqui fecerat coram Fabiano Præside*. Res ipsa clamat: verbum non addo. Ex Prodromo §. 41. colliges sæculo IV. corpusculum Sancti Pueri sub ara illa fuisse collocatum, neque improbabile est requievisse prius in Martyrio extramurano SS. Maximi et Julianæ. Acta ista Translationis PUERUM nominant quandoque DISCIPULUM S. MAXIMI, quam loquutionem de S. Ephebo agens expendit Mazochius *Kal. p.* 423. *n.* 269. Attamen verum ejus nomen scriptum in libro vitæ adhuc ignoratur. Martyrologia, et Acta illa Mombritiana Sancti Romani nomen puero faciunt BAULAS Græcanice, ut *Dorylas*, *Habinnas* Sevir Neapolitanus apud Petronium, *Halibidas* etiam Neapolitanus in Copa

Christo doceri: denique puerum ferociente Præside insano tormentis admotum sitisse: Matrem dehortatam a bibendo ac proposuisse nato suo cælestis aquæ cogitationem. Conveniunt etiam Hagiographus, et Prudentius in materno illo sermone „ ROGO TE DOMINE MEUS.... UT CUM VENERIS IN REGNUM...MEMOR SIS MEI. Ita Acta *sect.* x. quæ pariter Prudentius *v.* 831.

. . . . *Vale*, *ait*, *dulcissime*:

MEMENTO MATRIS JAM PATRONE EX FILIO.

Revocant hæc in memoriam quod Angelus Aglaidi Matronæ de S.Bonifacio dicebat. *Actor.S. Bonif.* §. 16. *p.* 254. „ *Aliquando servum tuum nunc autem nostrum fratrem suscipe siccut dominum* (δεσπότην) *et recconde bene. Per ipsius enim interventionem universa peccata relaxabuntur tibi.* „ In eo Acta nostra a Prudentiana lyra dissonant quod fabulosa prætermittunt, nec nates pulsatas referunt, nec pupulum carcere clausum, nec dissertationes a matre habitas, nec denique solemni sententia Præsidis damnatum pusionem, et capite cæsum. Jam hinc non parum auctoritatis Historiæ nostræ accedit, quæ verisimilis ubique decurrit. Quid nativius illis? *Sect.* IX. „ *Mater vero ejus sequebatur eos* (milites puerum abducentes) *ejulans*. Quid similius vero, quam cæsum infantem (virgis scil.) *dum* postmodum *torqueretur* (equuleo) tantis cruciatibus imparem *exhalasse in pace spiritum*? *sect.* X. At magis magisque auctoritatem Actis nostris conciliat cana et veneranda Antiquitas. Scripta enim fuerunt an. 347. Vide *Prodr.* §. 19. Prudentius vero natus est anno insequenti 348. Consule Salia, ut ipse testatur in *Præf. Cathemerin.* Ex passione igitur S. Maximi orta traditio, et in vulgus divagata, nescio quomodo annis procedentibus S. Romani gestis coliæsit;

atque ita ab origine prima difformis a Prudentio accepta, ac poëticis ornatibus onerata est. Nescio an eadem traditio sit, quæ passioni SS. Marci et Marcelliani adjecta fuit in Basiliano Menologio; nam deest certe in Actis sinceris eorumdem Martyrum. Vide Mazoch. Kal. *p.* 681. Idem tamen est Fabianus judex Marci et Marcelliani, qui S. Maximum damnavit. Adisis Prodrom. §. 30. Miraculum pueri ita recitat Menologium „ *Dum vero cruciarentur* (Martyres), *puer parvulus, qui forte aræ sacrificiorum adstabat, Præfectum, quod injuste ageret, objurgavit. Quare is vinctus, atque flagellis concisus inclusus est in custodiam* „ Quidquid horum sit, constabit opinor viris doctis aurea simplicitas et veracitas Actorum nostrorum, si Acta Inventionis ac Translationis S. Maximi sincerissima et coæva relegere non gravabuntur Prodromi §. 43. „ *Foderunt interius, et invenerunt* (sub ara maxima Eccl. Cath. Cumanæ an. 1207.) *aliud Mausolæum, in quo* SANCTI PVERI *erant reliquiæ, quem tres menses habentem Sanctus Maximus loqui fecerat coram Fabiano Præside*. Res ipsa clamat: verbum non addo. Ex Prodromo §. 41. colliges sæculo IV. corpusculum Sancti Pueri sub ara illa fuisse collocatum, neque improbabile est requievisse prius in Martyrio extramurano SS. Maximi et Julianæ. Acta ista Translationis PUERUM nominant quandoque DISCIPULUM S. MAXIMI, quam loquutionem de S. Ephebo agens expendit Mazochius *Kal. p.* 423. *n.* 269. Attamen verum ejus nomen scriptum in libro vitæ adhuc ignoratur. Martyrologia, et Acta illa Mombritiana Sancti Romani nomen puero faciunt BAULAS Græcanice, ut *Dorylas*, *Habinnas* Sevir Neapolitanus apud Petronium, *Halibidas* etiam Neapolitanus in Copa

(quod pöëmation ad Neapolim pertinere probavit Io. Ant. frater meus in schedio M. S. ex mentione Achelöidum Nympharum, et fluvioli scil. Sebethi, aliisque de caussis). Porro BAULAS facile a BAULIS celeberrimis fluxit, qui Misenum inter ac Bajas in Cumarum vicinia jacent. Cum puer nemo, ut vidimus, in passione S. Romani loquutus sit, sed in illâ tantum S. Maximi, crediderim BAULÆ nomen ab incerta traditione puero huic nostro servatum.

(s) §.19. *Cumque nominarent Jesum Christum, continuo aperti sunt oculi eorum (militum), & baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et cum illo se mori fatebantur* „ Hæc hodie in Actis leguntur, non tamen omnia a prima scriptoris manu profluxerunt. Siquidem *Sect.*5., S. Maximus Jesum Christum precabatur ut Sacerdotem concederet, qui baptismum captivis administraret: nunc vero ipse Maximus baptismum confert. At glossema hic intrusum etiam in oculos hebetiores incurrit. Quomodo cohærent, amabo, ista „ *Aperti sunt oculi eorum, et baptizavit, et fatebantur?* „ Comma illud si deleas „ *Et baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritui Sancto.* „ concinna et naturalis emerget verborum series „ *Aperti sunt oculi eorum, cum illo se mori fatebantur* „ Amanuensis voluit importunum syrma adsuere pietate quadam commotus. Vidit enim statim decollatos fuisse milites *Sect.* 12. Visumque illi intolerandum si non baptizati, ut alii ducenti fuerant, martyrii coronam adsequerentur. Liberali igitur manu milites numquam nisi in sanguine baptizandos aquæ proluit lavacro. Attamen si milites apertos habuere oculos, cæcutivit amanuensis. Probavimus in priore illo ducentorum baptismate Episcopum mysteriis usum, sci-

licet aqua, necnon oleo unctionis, ac Sanguine, et Corpore Jesu Christi. Quomodo hæc Martyr sub arctissima custodia in cruciatu servatus potuit umquam in promptu habere? Esto, Diaconus fuerit, quomodo ad mysteria neophytos admisit sine jussu Episcopi, quem sane jussum necessarium fuisse observavimus? §. 13. Immo etiam accedentes milites Martyrem invenerunt capite verso suspensum, (de quo supplicio vide Euseb. lib. 3. cap. 9.) neque enim adiicitur a Christo, vel ab homine aliquo solutum fuisse, immo in cruciatu Martyrem permansisse verba ostendunt in militum ingressu prolata: DOMINE SALVA ME. Similia proloquebantur S. Euplius dum acriter torquebatur. Act. §. 2. p. 362. „ SVCCVRRE CHRISTE. PROPTER TE HAEC PATIOR CHRISTE. Videamus quomodo quis possit capite deorsum pendulus baptismum non minus quam XVIII. hominibus ministrare, præsertim ubi tribunus aliique milites ethnici diligenter omnia rimabantur. Neque ergo solum sermonis commodioris rationes, sed et ipsa res postulat ineptissimum illud emblema e textu expungi.

(*t*) §. 20. 'Ducenti decem octo Christiani capite plectuntur pro Christi nomine, corpora insepulta jacent, nec tamen multis diebus a canibus et voluctibus tanguntur, donec sarcophagis lapideis composita clam sepeliuntur in altissima fovea; ita enim formulam interpretamur *cum diligentia sepelierunt*, *et optime collocaverunt*. Vide *Prodr.* §. 33. Non dubito fore plerosque Dodwellianos, qui tam ingentem numerum Martyrum erasum cuperent. Atqui, ut exempla mittam in Actis et Martyrologiis frequentia, clarissime testatur Eusebius *lib.* 8. *cap.* 9. in persecutione Diocletiani innumeros una die Martyres confici consuevis-

se ,, *Nunc deni, interdum viceni et amplius, nonnumquam ad triginta usque et sexaginta; quandoque et centeni viri simul ac mulieres cum parvulis uno die interficiebantur . . . Nos quoque cum in illis partibus* (in Thebaide) *degeremus, quamplurimos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus, adeo ut gladii ipsi hebetarentur, et cædere amplius non valentes frangerentur; ipsique carnifices viribus fatiscentes sibi invicem succederent*, ,, Corpora vero Sanctorum Martyrum, licet abjecta et exposita ut a volucribus et bestiis consumerentur, quod infra exponemus §. 24. sæpe intacta servavit Deus. Lubet præ ceteris Prudentium audire *περὶ στεφ. hymn.* 5. *de S. Vincentio v.* 99.

Sic frendit, et corpus sacrum
Profanus, ah dirum nefas!
Nudum, negato tegmine
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames
Aut bestiarum, aut alitum
Audet tropæum gloriæ
Fœdare tactu squalido.

Antequam hinc discedam scrupulum evellere oportet. Narrantur *Sect.* 12. corpora CCXVIII. jacuisse multis diebus IN PLATEA. Certe hic designatur CAMPUS, de quo paucula adscribam inferius §. 32. Ne statim inclames inauditum hoc, novique admodum exempli, Eusebium Cæsariensem advoco. Is lib. de Martyr. Palæst. §. 29. *Sanctorum*, ait, *cadaveribus sepulturam negare non est veritus* (Præses). *Horum igitur corpora sub dio exposita ut a bestiis laniarentur, diu noctuque sollicite jussit custodiri . . . . Canes vero et feræ bestiæ, et carnivoræ alites humanos artus hac illac dis-*

pergebant, totaque circum undique civitas visceribus et ossibus constrata erat... Nam pæne ad ipsas civitatis portas propositum erat spectaculum... Nonnulli etiam intra portam, artus et carnium ac viscerum frusta ab se visa esse adfirmarunt „ Igitur et in platea Cumana interfectorum corpora insepulta relicta sunt, scilicet prope portas in campo, qui tamen longe alius fuit a campo Caballario.

(*u*) §.21. Fabianus ad Maximum: *Sacrifica*, ait, *ut maximum honorem habeas ab Imperatore nostro.* Locus egregius inter ceteros ad ostendendum Gesta Præsidalia Hagiographum Cumanum exscribere vix perpaucis immutatis. Cum enim Diocletianum et Maximianum vel ab initio Actorum regnasse monuerit dum ista gerebantur, hic tamen singulari numero Imperatorem nominavit, quia non aliter dixisse oportuit Fabianum. Maximianus Herculius Italiam per ea tempora possidebat imperio, isque est quem Fabianus Consularis Campaniæ veteri formula IMPERATOREM NOSTRUM salutavit. Fastidium lectoris veritus exempla non congero.

(*v*) §.22. Lampades ardentes lateribus S. Maximi admoventur. *Incensæ faces*, ait Lactantius supra relatus §. 14., *et exstinctæ admovebantur singulis membris*. Hoc supplicio B. Eulalia perempta est. Canentem inducamus Prudentium *περὶ στεφ. hymn.* 3. *v.*153.

Flamma sed undique lampadibus
In latera, stomachumque furit . . . .
. . . .
Flamma crepans volat in faciem
Perque comas vegetata caput
Occupat, exsuperatque apicem.
Virgo citum cupiens obitum

Adpetit et bibit ore rogum.

Acta SS. Tryphon. et Respicii §. 5. *p.* 139. „*Præfectus ira repletus jussit ungulas ac lampades eorum lateribus adplicari. Quæstionarii accedentes jussa complebant*„ Acta S. Claudii et Socior. §. 1.*p.*234. „*Lysias præses dixit: Accipientes testam asperrimam lateribus ejus incumbite, et candelas ardentes eisdem adplicate*. „ Acta S. Theodori et Socior. §. 27. *p.* 306. „ *Tunc jussit Theotecnus fortissimum acetum infundi lateribus ejus* (quæ ungulis laceraverant) *et lampades flammantes admoveri*. „

(*x*) §.23. *Gladitores te percutient*. Minæ sunt furentis Præsidis. Nec novum a gladiatoribus Martyres confossos, vel capite obtruncatos. *Perpetua* (scribit Auctor Passionis *Sect.* XXI.,) *ut aliquid doloris gustaret, inter costas puncta exululavit, et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum posuit*„ Acta S. Tarachi §. XI. *p.* 392. „ *Jussit* (Maximus) *gladiatores introduci, ut Sanctos Dei Martyres gladio interficerent. Et statim præceptum Maximi impletum est, et consumpti sunt gladio* „ Acta SS. Tryphonis et Respicii §. *6. p.* 139. „ *Victimæ Christi præbuerunt ultronei cervices gladiatori; sicque mucrone jugulati beatissimas Creatori animas reddiderunt*. „

(*y*) §.24. Prosequitur minas suas Fabianus in Martyrem. *Carnes tuas tradent volatilibus cæli et bestiis terræ*. Phrasis Biblica est. Sic Psalm. 78. *v.* 2. „ *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*. „ Eamdem prorsus loquutionem invenies Ezech. XXIX. 5. Hierem. XV. 3. XVI. 2. XIX. 7. XXXIV. 20. Reg. *lib.* 1. *cap.* 17. *v.* 44. Cumanus Hagiographus ad Psalmum alludere videtur; nam vetusta versione Psal-

morum hodie etiam utimur; Prophetas et Chronica non habemus secundum priscam illam interpretationem. Quidquid fuerit, non præter morem ethnicæ sævitiæ loquitur Fabianus, et Notarium Cumanæ Ecclesiæ Biblicis quidem phrasibus sensa Præsidis vere expressit, et ad fidem gestorum. Plinius *Hist. Nat. lib.* 36. *cap.* 15. „*Novum et inexcogitatum antea posteaque remedium invenit ille Rex* (Tarquinius Priscus) *ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda civibus*, *simul* et FERIS VOLVCRIBVSQVE LACERANDA. De re consimili adeundus Plutarchus περὶ ψυχῆς, Gellius *Noct. Attic. lib.* XV. *cap.* 10. Consule etiam Jos. Scaliger. *ad Fest. v. Carnifex*. Fac igitur dixisse Fabianum, atque ita relatum in Actis Præsidalibus „ *Carnes tuas tradent* FERIS ET VOLVCRIBVS „ Notarius Ecclesiæ eadem circum locutus est „ *volatilibus cæli*, *et bestiis terræ*„ Quod dixi familiarem fuisse hujuscemodi formulam in Diocletianæa persecutorum sævitia, breviter ostendo. En tibi in Actis S. Claudii §. 3. *p*. 235. „ *Crucifigantur ut aves corpora eorum lacerent* „ Acta SS. Firmi et Rustici *p*. 548. „ *Anolinus jussit ut nemo sepeliret corpora eorum*, *nisi bestiæ*, *aut canes devorarent ea* „ Prudentius περὶ στεφ. *hymn*. XI. *v*. 66.

. . . . . . *Crux istum tollat in auras*,
Viventesque oculos offerat alitibus.

Lactant. *Inst. lib*. 5. *cap*. 11. „ *In cineres furit*, *ne quis exstet sepulturæ locus*„ Acta S.Tarachi *p*.385. *Reliquias tuas bestiis dabo*. Hæc illa *districtio etiam ultra mortis terminos procurata*, quæ commendatur ab Ethnicis in Passione S.Epipodii §.4.*p*.64. In Actis SS.Mart.Lugdunens. §.15.*p*.59. „ *Corpora . . . canibus objecerunt sollicite observantes noctu atque interdiu*, *ne quis nostrorum*

ea sepulturæ manda ret „ Similiter S. Tecusa in Actis S.Theodoti §.13.*p.* 301. „ *Carnem* (hanc) . . . *mox videbitis a feris avibusque discerpi. Jam enim Præses statuit, nec sepulcro quidem nos dignari* „ Acta S. Vincentii §.10.*p.* 328. „ *Proiicite, inquit* (Dacianus) *illum* (Vincentium) *in apertum campum, nullo defendente obstaculo : ut cadaver exanime sepulturæ carens honore, a feris et avibus penitus consumptum non compareat, ne forte Christiani ejus tollentes reliquias Martyris sibi vindicent dignitatem* In citatis Actis S.Tarachi §.7.*p.*385. „ *Maximus dixit; Putas quia muliercula aliquæ post mortem corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire, nequissime? Nam et modo cogitabo ut reliquias tuas exterminem* „ Acta S. Sebastiani *sect.* 88. „ *Tulerunt corpus ejus . . . dicentes, ne forte Christiani eum sibi Martyrem faciant* „ Acta S. Alexandri ap. Surium *tom.* 1. *die* 13. *Maii* „ *Illud enim velim scias* (iniquit Tiberianus Tribunus) *carnes tuas et ossa per singulas regiones, per quas ego transiturus sum dissipatum iri, ne mulieres ipsæ aliquid e carnibus tuis et ossibus inveniant quod postea unguentis odoratissimis perfundant* „ Euseb. lib. 8. cap. 6. „ *Corpora . . . erui ex sepulcro, et in mare proiici oportere censuerunt; ne quis illos sepulcris conditos, pro diis, ut ipsi quidem opinabantur, reputans in posterum adoraret. Et hæc quidem in ipso persecutionis exordio Nicomediæ gesta sunt* „ Vide et *Prodrom.* §. 34.

(z) §.25. *Deum* ASCLEPIUM *timeo*, Fabianus ait, *& ipsi do claritatem*. Rursus indicium elucet Acta Præsidalia a nostro exscribi. Bene enim ac de more sæculi *Asclepium* pronunciat græcissans Fabianus quem Aesculapium latine extulisset. IV. ineunte sæculo plebem Puteolanam, CVMANAM, Misenatem Græce

loquutam probavit noster Mazochius *Vind. Act. S. Januar. p. 61. n.* XXII. Populariter Præses *Asclepium* Cumanorum Deum tutelarem timere jactavit, in quo se vulgari dialecto adcommodabat. Sic etiam Calvisianus Consularis in Catanensi Civitate Græcanica ajebat. „ *Torqueatur Euplus, quoad usque confiteatur se deos veros omnipotentes adorare Martem, Apollinem, et* ASCLEPIVM. Acta ex M.S.Colbertino ap. Ruin. §.1. *p.* 362. Vetus inscriptio Neapolitana apud Capaccium *lib.* 1. ASCLEPIVM, ET HYGIAM nominat, uti et IOVEM FIAZIVM, quem perperam *Eiazium* legebat Capaccius exscriptor. Sicut vero ob thermas Prusæ Olympenæ Aesculapium summopere colebant, quare in Act.S.Patricii Sect. 1. „ *Vide patris nostri Asclepii gratiam et virtutem, eumque adora* „ ita et Cumani superstitione enormi in hunc Deum ferebantur, quod medicis aquis territorium Cumanum scateret. Immo etiam Cumæ sub tutela Apollinis erant: proinde et Aesculapii patris. Certum est anno 1606. inter Cumarum parietinas pulcherrimum Lararium Civitatis detectum, atque in eo statuam Aesculapii elegantissimam, teste eodem Capaccio *lib.* 2. *p.* 240. Vides cur Præses Asclepium se præcipue *timere* dixerit h. e. revereri, et colere. Facit ad rem Vet. inscript. in Synopsi Feetwoodi V. CL. RELIGIONI IVDAICAE METVENTI. Ceteroqui timor iste sive religio ethnicorum sæpissime in derisionem et contemptum degenerabat. Nam ex Tertulliani Apologetico aliisque Auctoribus probavit Jo. Ant. frater meus Amoenit. Jur. Civ. *cap.* 1. ex æneis idolis veteres conflasse etiam vasa coquinaria. Nostra etiam Acta pulcherrima *sect.* 12. innuunt ex marmoreis idolorum fragmentis stratas fuisse vias. „ *Non adoro*, iniquit *S. Maximus, idola manu facta, de quo*

rum imaginibus viæ sternuntur „ Conferenda sunt Acta S. Theoduli §. 7. *apud Mazoch. Kal. p.* 158. Ita Deus Opt. Max. viam per opiniones mortalium paraverat imminenti Christianæ Religionis triumpho.

(*aa*) §.26. Adpellat Martyr ad tribunal Judicis Christi. Fortissimus Martyr Saturus inridens concurrentium ethnicorum curiositatem in Pass.S. Perpetuæ Sect. 17. „ *Notate, ajebat, vobis facies nostras diligenter, ut recognoscatis nos in die illo judicii* „ Sic et S. Romanus apud Prudent. *hymn.* x. *v.* 817.

.... pone respectans, ait:
Adpello ab ista, perfide, ad Christum Deum
Crudelitate, non metu mortis tremens,
Sed ut probetur esse nil quod judicas.

Christum meum vulgo legunt. Deum reposui priscam Christianorum loquutionem sequutus. Terribilis quidem et severa provocatio, at Martyre prorsus dignissima. Quam nollem in Passionibus quibusdam, semper mihi suspectissimis, convicia et maledicta Christi Confessoribus, proximisque imitatoribus attribui! Exemplum profero. Acta Vaticana seu Baroniana S. Januarii *sect.* 7. „ *Deprecor te Domine Deus meus, ut ulciscaris in tyranno Timotheo, quæ gessit in me servum tuum, ut eruas, et evellas, et obcæces oculos ejus. Et subito cæcus factus est. Tunc oravit S. Januarius ad Dominum, et dixit: Gratias tibi ago Pater Domini nostri Jesu Christi, qui exaudisti servum tuum, et disperdisti oculos Timothei impii* „ Detestatur imprecationem Sancti Confessoris existimationi indecoram Mazochius Vindic. p. 120. n. 20., reprehendunt mendacium fatui scriptoris Tillemontius, et ipse adsertor historiæ Vaticanæ Stiltingus. Contra, quam pulcra, admiranda, verbo dicam quam Christiana illa verba

SS. Nicandri et Marciani acceptâ a Maximo Præside capitalis supplicii sententia : PAX TECUM, PRÆSES HUMANE. Actor §. 3. *p*.486. Ad eumdem Maximum S. Julius „ Obsecro te, PIE PRÆSES etc. „ *Act.* §. 1. *p*. 482. Præses erat Maximus Mœsiæ an. 302., uti probat Mazoch. *Kal. p.* 659., diversus omnino a Fabiano, quem in Italia comitatum Maximiani Herculii sequutum gesta munera declarant. Hoc loco etiam observanda illa Hagiographi verba „ *Terra vero non suscipiebat sanguinem Martyris Christi* „ Præcavebant id Christiani, et sanguinem studiose adservabant. Acta S. Cypriani fusiora apud Baron. an. 261., „ *Fratres vero flentes linteamina et oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur a terra* „ Sic et de S. Vincentio Prudent. hymn. 5. v. 340. Ille ungularum duplices Sulcos pererrat osculis : Hic purpurantem Corporis Gaudet cruorem lambere Plerique vestem lineam Stillante tingunt sanguine Tutamen ut sacrum suis Domi reservent posteris. Mox pulcherrime hymn. XI. de S. Hippolyto v. 139. Hic humeros, truncasque manus, et brachia, et ulnas, et genua, et crurum fragmina nuda legit. Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ Ne quis in infecto pulvere ros maneat. Si quis et in sudibus recalenti adspergine sanguis Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit. Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva Obtinet, aut plenis fraudat ab exsequiis „. Ac profecto etiam S. Maximi sacrum cruorem in phialis servandum Cumani curarunt. Vide *Prodrom.* §.46. Hæc respexit Hagiographus, dum tradidit *terram non suscepisse Martyris Sanguinem*. Innuebat, potuisse Christianos hunc sibi sanguinem comparare, et in phialas recondere.

(*bb*) §.27. Alia nunc arte Confessoris invicti con:

stantiam adgreditur Fabianus „ *Adores*, inquit, *deos*, *ut habeas magnum honorem in* PALATIO *Diocletiani et Maximiani* „ Etiam hæc ab Actis Præsidalibus manarunt. Solemnis formula; consuetum tritumque illa ætate *palatii* vocabulum. Lactant *de Mort. Persecut. cap.* 15. „ Item *Judices universi, omnes denique qui erant in* PALATIO *magistri*, *data potestate torquebant* „ In Actis S. Symphoriani §. 5. *p.* 70. „ *Judex ait: Sacrifica diis ut possis* PALATII *honoribus perfrui* „ Acta SS. Rogatiani et Donatiani §. 4. *p.* 247. „ *Si voluntas obstinata te non decipit, deorum indulgentia concessa recipiet, ut in Imperatorum* (Diocl. et Maxim.) PALATIO *et aula deorum possis cum vitæ commercio sortiri dignitatis augmentum* „;

(*cc*) §.28. EXERCE QUIDQUID POTES. Magnanimus Christi pugil ita sævitiam Fabiani lacessit. Rursus vides omnia desumpta ex Actis Præsidalibus. Vox enim illa solemnis erat Confessorum gloriam sibi passionis optantium, et in adjutore Christo spem suam virtutemque alacriter collocantium. Non injucunda erit collectio talium sermonum ex Actis Martyrum primigeniis, nec parum auctoritati Historiæ nostræ favebit. Acta S. Irenæi Sirmiensis §. 4. *p.* 358. „ *Probus dixit. Consule tibi, juvenis: Immola, ut non te cruciatibus impendam. Irenæus respondit*: FAC QUOD VIS...: *Probus dixit: Dabo in te sententiam. Irenæus respondit*: GRATULOR SI FECERIS. „ S. Euplius *in Actis* §. 2. *p.* 362. FAC QUOD VIS. CHRISTIANUS SUM. HÆC DIU OPTVAVI. FAC QUOD VIS. ADDE ALIA. CHRISTIANUS SUM. S. Hilarianus in Actis S. Saturnini §.17.*p.*346. QUIDQUID FACERE VOLVERIS FAC. S. Tarachus et Socii inclamant *in actis p.*387.388. *etc.* FAC QUOD VIS. (*ποίει ὃ θέλεις, πράττε ὃ θέλεις*). In Actis S.Achatii *p.* 131.

FAC JAM QUOD PLACET. S. Speratus *in Act. MM. Scil. lit*. bis clamat *p*. 75. FAC QUOD VIS. Acta Proconsularia S. Cypriani §. 3. „ *Galerius Maximus ait : Consule tibi. Cyprianus Episcopus respondit*. FAC QUOD TIBI PRÆCEPTUM EST. *In re tam justa nulla est consultatio* „ In Actis S. Didymi et Theodoræ *p*. 353. §. 2. FAC *itaque* QUOD VIS.

(dd) §.29. Fabianus DECREVIT, *dicens* : *Quoniam si iste vixerit multos per sua maleficia separabit a deorum cultura. Et ante ipsum dictavit sententiam etc.* De sententia disseremus §. sequenti. Nunc videndum τὸ DECREVIT quid hic significat cum agatur de Præsidis metu ne S. Maximus ethnicos ad Christum suis miraculis perduceret. Liquet autem peritis viris *decernendi* verbo innui deliberationem Præsidis cum consilio sive adsessore suo. Proprie enim *decernere* deliberare est. Sic Proconsul Galerius Maximus cum consilio decrevit S. Cyprianum esse tollendum, ut aliis documento esset, ac sanguine sanciretur disciplina. Post quam deliberationem Proconsul ipse recitavit de tabella sententiam. Act. Proconsular. §. 4. *p*. 189. Præses Justinus in SS. Philippum et Hermetem sententiam edidit *communicato* prius *cum participibus*, *et Adsessore consilio*. Vide Acta *Sect*. XI. p. 371. Participes sunt Consiliarii Adsessore minus honorati, de quibus egregia observavit Mazoch. *Kal. p*. 220. Item Acta S. Pionii p. 127. *Proconsul diu habitis cum Consiliatore sermonibus* „ Acta SS. Tryphonis et Respicii *p*. 139. „ *Præfectus . . . jussit gladium adduci, et consilio accepto sententiam protulit*. Leucon Maximi Præsidis Consiliarius in Mœsia occurit in Passione SS. Nicandri et Marciani *p*. 484. Nunc recte Fabiani deliberationem cum Adsessore, et Consiliatoribus, sive Participibus

ante prolationem sententiæ intelligimus. Consularis nempe cum iisdem de interficiendo S. Maximo decrevit, quod vivens relictus plures ethnicos ad Christi ovilia cogere potuisset. Consilio accepto ad sententiam dictandam et recitandam descendit.

(*dd*) §.30. Ante Martyrem S. Maximum Præses DICTAVIT sententiam, scil. EXCEPTORI, ac deinde ex tabella recitavit. Sic in *Actis MM. Scillitan. p.* 75. „ *Proconsul dedit sententiam per exceptorem dicens &c. Hæc cum essent ex tabella recitata &c.* Julius Firmicus *Mathes. lib.* VIII. *cap. 6.* explicat qui nam fuerint exceptores „ *Erunt*, inquit, EXCEPTORES *earum sententiarum quæ de capitibus proferuntur* „ Notarii scilicet qui sententiam in Acta referebant. Mos fuit velum obduci dum Præses consilium accipiebat, post deinde sententia velo reducto recitabatur. S.Basilius Magn. Epist. 97. ad Eustath. Acta SS. Claudii et Socior. apud Surium, et Baron. an. 285. „ *Lysias introgressus, obduxit velum, et post exiens ex tabella recitavit sententiam, dicens* „ *Claudius, Asterius, Neon fratres Christiani deos blasphemantes et sacrificare renuentes ante atrium cruci adfigantur, et corpora eorum avibus laceranda relinquantur. Et subjecit: Curent hæc Claudius commentariensis, et Archelaus spiculator*'... Acta Sancti Eupli §. 3. *p.* 362. „ *Calvisianus intra velum interius ingrediens sententiam dictavit. Et foras egressus adferens tabellam, legit: Euplium Christianum edicta principum contemnentem, deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animadverti jubeo. Ducite eum.* In Actis S. Pionii §. 19. *p.* 127. *Proconsul.... recitari jussit ex tabula &c.* In Actis S. Petri Balsami §. 2. *p.* 442. *Præses dictavit adversum eum sententiam &c.* De sententiis ex tabella recitatis

vide Tertullian. *Apolog. cap.* 2. et S. Pontium *Diac. Vit. et Pass. S. Cypriani cap.* 17. Ex his conficitur nostrum Hagiographum Acta judicialia præ oculis habuisse. Prius enim ait Fabianum Præsidem *decrevisse* i.e. obducto velo cum Adsessore deliberasse, deinde addit *dictasse* sententiam, scil. exceptori, quam ipse Præses mox de tabula remoto velo ante Martyrem recitavit. Nunc verba sententiæ expendenda supersunt.

(ee) §.31. Sententiæ tenor hic est. „ *Impium Maximum* REBELLEM *deorum, et* BLASPHEMATOREM *Imperatorum nostrorum, eo quod diis sacrificare noluerit, jubemus eum capitalem subire sententiam, et corpus ejus* TRADI VOLATILIBUS COELI ET BESTIIS TERRÆ „ Acta S. Vincentii §. 8. *p.* 327. *Rebellis Principum exspiret* „ Non tamen hoc urgeo. Potius mihi venit accuratius enarranda *blasphemia in Principes*, quod vocabulum ab Ethnicis horum temporum Christiani ad res sacras transtulerunt. Legimus in Relatione Fortunati Præsidis conscripta anno 298., quamque servarunt Acta S. Marcelli §. 3. *p.* 266. „ *Coram omni populo in deos, et in Cæsarem multa blasphema loquutus est* „ Acta S. Crispinæ *an.* 304. §. 1. *p.* 395. *Anulinus Proconsul dixit : Blasphemiam loqueris* „ Acta S. Claudii *an.* 285. §. 3. *p.* 235. *Lysias Præses dixit : Frangentes cervicem ejus dicite illi* NOLI DEOS BLASPHEMARE. Acta S. Restitutæ sect. 4. „ *Quidquid* BLASPHEMANDO *protuleris æquo animo sustinere debemus.* „ In iisdem Epistola exstat Eustasii Proconsulis ad Proclinum sect. IX. in qua B. Restitutam videmus vocari „ REBELLEM *imperialibus dictis, et Sacris numinibus* BLASPHEMIAS *proferentem* „ Acta S. Pollioni *p.* 359. §. 1. „ *Hic in tantam prorupit superbiam, u non cesset deos et Principes* BLASPHEMARE. Desinit Fa

biani sententia in formulam sepulturæ honores Martyris corpori denegantem. Certe id in sententia exprimi oportuit, ut vidimus in sententiâ a Præside Lysiâ contra S. Claudium et fratres prolatâ „ *Corpora avibus laceranda relinquantur* „ Vide et §. 20. *ac* 24. hujus nostri Commentarioli. Mallem in Fabiani sententia legi *volatilibus*, *et bestiis*. Certe enim Notarius Cumanus, nisi alius forte serus corruptor volatilibus *cælum*, bestiis *terram* adsignavit, digitum ad Biblia intendens, neve Præsidis minæ *Act. sect.*XIV. in vacuum caderent. Si parvum istud glossema excipias, et alium superius detectum §. 17., omnia in Actis nostris pura, concinna, sincera omnia, et priscos mores consuetudinesque referentia.

(*ff*) §.32. *Extra civitatem* ducitur S. Maximus ut ictum feralem excipiat, coronam obtineat. *Foras civitatem* ducuntur ad supplicium SS. Claudius, Asterius, et Neon. Vide Acta eorum *pag.* 285. SS. Bonosus et Socii ad CAMPUM ducti, ubi gladio sunt percussi. *Acta* §. 5. *p.* 522. Urbes omnes pone mœnia CAMPUM habebant, in quo se juvenes exercebant. De Campo Neapolitano, qui Basilicam S. Januarii extramuranam, urbisque mœnia interiacebat consule Mazoch. *de SS. Episc. Neap. p.* 378. *de Cathedrali Neap. p.* 206. Adde *Prodrom. ad Tabb. Heracl. p.* CXI. Hujusmodi loca suppliciorum exsequutionibus destinata erant. Constantinus *in Orat. ad SS. apud Euseb. cap.* 27. „ *Nec deerant in urbe Roma qui tantis malis lætarentur. Erat campus ad prælium constitutus*. S. Augustin. *contra Parmen. lib.* 1. *cap.* 8. *Conqueri audet Parmenianus, quod eos ad* CAMPUM, *idest supplicium duci jussit*. Sulpic. Sever. *de Virtut. Martini cap.* 5. *Non irrationabiliter in* CAMPO *cathecumenos fieri, ubi solent Martyres consecrari*. „ Sic etiam S. Janua-

rius et Socii extra Puteolos ducti in *Sulphuraria* obtruncati sunt. Acta Sincera S. Jan. *Sect.* 8. *9.* Forum Uulcani campus ille aliter nuncupatur. Cumque Acta referant ibidem jacuisse corpora in agro *Marciano*, seu potius *Malchiano*, uti habet Bernardinus Siculus Scriptor Sæc. XII. ineuntis apud Caracciol. *cap.* 20. *sect.* 11. *p.* 242., vides Campum Puteolanum ibi propemodum patuisse, ubi etiamnum Capuccinorum Cœnobium surgit, cum inscriptione in altari Ecclesiæ LOCUS DECOLLATIONIS S. JANUARII ET SOCIORUM EJUS. Dixi Malchianum agrum prope Sulphurariam fuisse, idque locum perlustranti facile patebit. Sed et Acta Vaticana *sect.* 13. *apud Mazoch. Vindic. p.* 124. „ *Quem* (B. Januarium) PRIMO *quidem in loco, qui adpellatur Marciano absconderunt* (Neapolitani). „ Legendum hic PROXIMO, ut in re simili Acta S. Saturnini emendavimus ductu Actorum S. Cypriani. Adisis *Prodrom.* §. *36.* Conficitur Marcianum seu Malchianum agrum in quo prima fuit S. Januarii sepultura proximum fuisse campo, et loco supplicii. Nec diversum de campo Cumano judicium facile mihi excidet. Nempe S. Maximus ad viam Caballariam sepultus fuit in *proximo loco*, sicut in re trepida et clancularia oportebat fieri; cumque duobus ab Urbe Cumana millibus passuum distaret Martyris sepulcrum, locus supplicii, sive Campus Cumanus in illa vicinia sese explicabat. Si milliaria veterum ad nostra hodierna Italica reducemus, quinta scil. parte deducta, patet Campum Cumanum in quo passus B. Maximus, et proximum campo Agrum Innocentii, in quo sepultus fuit, distare ab Urbe ipsa Cumarum spatio hodiernorum passuum 1600. Alium hujusmodi *campum* prope Urbis mœnia *plateam* di-

ctum suspicor ex his quæ scripsi §. 21. Via autem Caballaria dicebatur quod caballis pervia esset bestiisque dorsuariis, ut puto, sicuti carrucaria esset rotabilis alia: sive potius quod olim equi generosiores caballi etiam vulgo dicebantur, viaque caballaria ad campum ducebat, ubi exercitationibus equestribus Cumani indulgebant. Neque Cumanos ab hujusmodi Ludis abhorruisse illud indicio esse potest, quod celeberrimas quoque naumachias in proximo Averno præliabantur. Auson. *Idyll. x.*

Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ
Innocuos ratium pulsus, pugnasque jocantis
Naumachiæ . . . .

(gg) §.33. Sanctus Maximus gladii extremum excepturus ictum genua *figit*, i. e. flectit, qua dictione Hagiographus etiam utitur *sect.* IX. Γονυκλίσιε Martyrum a S. Stephano Protomartyre initium ducit, qui *positis genibus* pro persecutoribus Deum orans lapidibus oppressus vitam finivit. Ita occumbunt Martyres Scillitani *Act. p.*75., ita S. Fructuosus et Socii *Act. p.* 192., ita S. Flavianus FIXIS *tamquam ad precem genibus*, ut Acta S. Montani perhibent *p.*192. Denique et S. Euplius *flectens genua sua paravit cervicem et decollatus est*. Acta *p.* 363. Exempla hæc attulit Mazochius *Vindic. Act. S. Jan. p.* 36. *n.* 12., et *p.* 91. *n.* 33.

(*hh*) §.34. Decollato Beatissimo Maximo *terræ motus factus est magnus. Omnis populus . . . clarificaverunt eum* (Dominum) *quoniam magnus est, et timuerunt nomen Domini Jesu Christi, et simul omnes unanimiter baptizati sunt* „ Clamet nunc Tertullianus (Vide sup. §. 12.) „ SEMEN EST SANGUIS CHRISTIANORUM „ Vivens B. Maximus CCXVIII. ethnicos lucratus

est: mortuus vero ingentem concivium suorum numerum, quotquot Urbe egressi ad spectandum supplicium venerant. Nonne adposite S. Maximum LUMEN ECCLESIÆ salutavimus? *Prodor.* §. 12. Semper mihi osores miraculorum instant, Dodwelliani horum dierum Critici in mustaceo laureolam quæritantes, qui præfracte negabunt res hujusmodi miras, quantacumque fuerit auctoritas Cumani Historici coævi pro Ecclesia concivium suorum scribentis, quos inter et filii supererant oculatorum testium, et ipsi etiám qui prodigium suis oculis usurpaverant. Sed Christus Dominus hac plerumque via populos ad sua compulit ovilia. In Passione Sancti Bonifacii *an.* 290. §. 13. *p.* 253. „ *Factus est terræ motus magnus, ita ut exclamarent dicentes Magnus Deus Christianorum. Et crediderunt multi in Dominum Jesum Christum* „ In martyrio S. Apphiani ingens motus cælum, mare, et Urbem totam Cæsariensem concussit. *Universi*, addit Euseb. Cæsariensis *de Martyr. Palæst. cap.* XII., *propemodum incolæ Urbis Cæsariensis testes hujus miraculi exstiterunt. Nulla certe ætas tam stupendæ rei spectaculo non interfuit* „ Post martyrium S. Tarachi et Sociorum *terræ motus factus est magnus, et tonitrua et fulgura, et nimia tempestas imbrium descendebat*. Ita referunt Acta §. XI. *p.* 393. a Pamphilio aliisque oculatis testibus descripta, et Ecclesiæ Iconii transmissa. Rebus his mirandis perculsi Gentiles sæpe Christi Domini potestatem vel inviti fatebantur. Sic populus intactum videns a feris bestiis in amphitheatro S. Gregorium, exclamat „ *Vere magnus est Deus Christianorum, multique Christo nomina dedere*. Passio apud Surium *tom.* 6. 24. *Decembr.* Petr. de Natalib. *lib.* 1. *cap.* 88. Ferrar. *p.* 786. In exorcismo S. Aureliani po-

pulus dicit „ *Vere magnus est Deus Aureliani*. Ferrar, 22. *Maii p.* 300. In Actis S. Apollonii apud Rufinum de Vitis Patrum *cap.* 19. „ *Stupefacti et Judex et populus, una omnes voce clamare cœperunt. Magnus et unus est Deus Christianorum, solus immortalis est* „

(ii) §.35. *Hymnum referimus Christo*, ita Cumani sanguine concivis Maximi nuper velut irrigati, et in vinea Dominica ex insperato succrescentes. Sic in *Pass. S. Philippi Heracleotæ* §. VII. PSALMUM *dicentes Domino*. Adnotat Cl. Mazochius *Kal. p.* 219. „ *Noli heic de Psalmis Davidicis cogitare, verum de hymnis ἰδιωτικοῖς, quos sive ex tempore pro re nata canebant, sive ex iis, quos memoria tenebant aliquem proposito congruentem* „ De his hymnis accipiendus Plinius *lib.* 10. *Epist.* 97. „ *Carmen Christo tamquam Deo canunt* „ Christiani insulæ Enariensis hymnis prosequuati sunt S. Restitutam. Acta ejusd. Sect. 15. Advocans plebem (Lucina) Domini sanctam cum HYMNIS et laudibus et magno honore sepelivenerunt eam in loco qui dicitur ERACLIUS (h.e. Ηρακλεῖον *templum Herculis* hodie *Lacco* λάκκος i. e. fossa. Vid. Maz. Kal. p. 333. 334.) Sæculo x. etiam Laici in Ecclesia Neapolitana laudes Christo referebant. Ita Jo. Diac. in Chron. Episc. *Sect.* XVIII. Qui (populus, plebs) *usque nunc, Domino propitio, sedulo laudes Christo referre non cessat* „ Auctor Vitæ Athanasianæ (qui scripsit vergente sæculo XI.) in *Prologo* testatur Neapolitanos Græce et Latine Dei laudes cecinisse „ (*In qua* Neapoli) *Laici simul cum Clericis assidue Græce Latineque communi prece psallunt Deo* „ Idem in Historia Translationis S. Athanasii „ *Confluebant autem uterque sexus ... et qualiter poterant, psalmodiæ cantus utriusque linguæ Græce et Latine suavi modulatione resonabant* „

Specimen hymnorum hujusmodi popularibus Neapolitanis familiarium exhibent Acta Translationis S. Iulianæ *Lect.* 3. *apud Capacc. p.* 175. „ *Sacerdotes, et milites de regione Nili simul cum magna plebe portantes ramos olivæ in manibus, cantantes* HOSANNA IN ALTISSIMIS DEO . . . *præibant canentes, et dicentes* BENEDICTA QUÆ VENIT IN NOMINE DOMINI; *Et sic canendo pervenerunt ad Ecclesiam Beati Nicolai Christi Confessoris de Castro Lucullano sitam prope moenia Civitatis* „ Ecce vero hymnum, quem populus Cumanus Christo *referebat*, sive concinebat, aliorum ignarus, quos veteres Christiani callebant. VERE UNUS EST DEUS CHRISTIANORUM. CREDIMUS EI. Sic et acclamationes olim in theatro, et ludis non sine modulatione quadam canebantur prosa oratione conceptæ. Senatorum acclamationes frequentissimæ prostant apud scriptores Augustæ Historiæ.

(*kk*) §.36. Hic RELIQVIAE, et mox RELIQVIAE CORPORIS vocatur integrum S. Maximi corpus; nam *sect.* 20, „ *Invenerunt* CORPVS . . . . INTEGRVM, ET CANDIDUM VELUT NIX. Non sine cura hæc dictio nobis transmittenda, cum ævi melioris notam evidentissimam exhibeat. Ex Mazochiano thesauro (Kal.*p.*694. 986.) pauca in rem nostram vertemus. RELIQUIAS de integro corpore, quasi *exuvias* diceret, accipere solet S. Ambrosius. *De Tobia cap.* 1. *n.* 4. *cap.* 10. *n.* 37. *Epist. posteriore ad Syagrium n.* 10. Ita et accepit Ammian. Marcellin. *lib.* XXI. *in fin.* Nec non λείψανα Corpus S. Cypriani adpellat S. Gregor. Nazianz. *in Orat. de eodem*. Acta S. Bonifacii §. 2. *p.* 250. „ *Adfer nobis* RELIQUIAS IDEST CORPORA *Sanctorum Martyrum* „ Acta S. Philippi Heracl. §. 15. p. 373. „ Navigia conscendunt si cui piscanti veniat SANCTORUM CORPORUM GRATA

captura ... Mox INLÆSÆ RELIQUIÆ involutæ retibus extrahuntur „

(*ll*) §.37. Accedit et alia antiquitatis nota non minus luculenta in illis „ *Ego sum Maximus* CONFESSOR DEI „ Martyrem dicere voluit. Communis eruditorum opinio mirum quantum nostræ Historiæ constabiliret auctoritatem, ac Mazochii præsertim, qui *Confessoris* titulum numquam in Kalendario marmoreo Neapolitano sæculi IX. perspiciens, vixque semel in Martyrologio Bedæ adpositum, ut Cælicola non Martyr designaretur, statuit Martyres inter Confessoresque discrimen non nisi post VIII. sæculum sensim irrepsisse. *Kal. p. 767. n.* 558. De SS. Episc. *Neap. p. 96.* Olim nonnisi Martyres colebantur, sed exeunte Sæculo IV. etiam viri in pace defuncti ac virtutibus insignes absque eo quod Christum in persecutione ac tormentis confessi forent Sanctorum albo adscripti sunt. Innoc. III. *de Mysterio Missæ cap.* 10; Benedict. XIV. *de Canoniz. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. Sed Thomasinus *de Festis lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 10. primos hujus classis Sanctos facit S. Hilarium Pictaviensem, ac S. Martinum Turonensem, qui serius tandem multoque post Constantinum tempore solemnem in Ecclesia memoriam sunt adepti. Quidquid sit in eo quod Confessoris titulus non Martyri post sæc. VIII. attribui cæperit, docti conveniunt. At inquies, *Confessor* in Ecclesia Latina, *ὁμολογητής* in Græca, etiam IV. ac præcedentibus sæculis non vice simplici cum præfatione honoris nominatur qui non Martyr. Facilem arbitror nodi solutionen. Paullum verba S. Cypriani *epist.* 37. attendamus „ *Cum voluntati et confessioni in carcere et vinculis accedit moriendi terminus, consummata Martyris gloria est*. Idem *lib. de*

simpl. Prælator. „ *Confessio exordium gloriæ est, non meritum coronæ. Non perficit laudem sed initiat dignitatem* „ Item legitur in Actis S. Montani §. 21.*p.*207. *ann.* 260. „ *Bis Confessor es, tertio Martyr eris per gladium* „ Copiose hanc rem illustrat pulcherrima Epistola Ecclesiarum Viennensis ac Lugdunensis, quam servavit *Euseb. lib.* 5. *cap.* 1. *et seqq.* anno Christi 177. conscripta. Refertur quoque a Ruinartio *p.* 59., ubi §. 17. ista habentur „ *Quamvis in tantum gloriæ culmen evecti essent, nec semel atque iterum, sed sæpius martyrium subiissent, et a bestiis denuo in carcerem relati essent: quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices et vulnera toto corpore circumferrent; tamen nec se ipos Martyres prædicarent nec a nobis ita se adpellari paterentur. Verum si quis nostrum per literas aut in familiari colloquio eos Martyres compellasset, objurgabant graviter, atque increpabant. Martyris enim adpellationem libentissime concedebant Christo, utpote fido veroque testi, et primogenito mortuorum, vitæque cælestis principi et auctori. Eos quoque qui jam ex hac vita migraverant Martyres, nobis commemorabant, ajebantque: Hi jam sunt Martyres, quos in ipsa confessione Christus adsumpsit, confessionem ipsorum morte, tamquam anulo obsignans; nos vero viles atque abjecti Confessores... Ipsam vero Martyrum adpellationem a fratribus sibi oblatam, utpote timore Dei constricti, refugiebant*. Ex collatione verborum S. Cypriani, S. Montani, et Ecclesiarum Viennensis ac Lugdunensis prono alveo fluit veteres distinxisse a Martyribus designatis, consummatos, sive coronatos. Designati, seu Christum in judicio palam confessi, quique ideo cruciatus toleraverant nec tamen mortem, CONFESSORES dicti: qui

sanguine suo martyrium fecerant proprie MARTYRES adpellabantur. Videndus S. Eulogius Cordubensis Martyr *Memorial. Sanctor. lib.* 1. Adi etiam Card. Baron. *Ad Martyr.* 2. *Jan.* Ruinart, *ad Acta S. Cypriani p.* 176. §. 12. Cum ergo de Confessoris titulo nonnisi post sæc. VIII. adhiberi cæpto eruditi loquuntur, non de Martyribus designatis accipiendi sunt, quia Confessores salutati hi fuere ab ipsa Ecclesiæ origine; sed omnino de Viris morum sanctitate illustribus et in pace Ecclesiæ depositis, quorum solus tortor diabolus fuit, quique testimonium Christo perhibuerunt innocentia vitæ, et cruciatibus non a Præside aliquo illatis, sed vel a Deo immissis fortiterque toleratis, vel perpessis, quos sibi ipsi ad eluenda peccata ultro irrogarunt. Atque hi plane IX. potissimum ac X., sæculo cultum publicum promeruere non immerito Confessorum nomine donati, cujusmodi fuerunt S. Hilarius, ac Sanctus Martinus, deinde et Monachi plurimi. Vide Cangium *v. Confessor*. Nihilominus, ut ad priora Ecclesiæ tempora regrediar, ex recitatis antiquorum locis etiam eruitur, vulgo olim *Confessores* sive Martyres designatos illustri etiam vocabulo Martyrum honestari consuevisse; nec non et Martyres consummatos, Confessores dictos. Hinc *Martyria* Græci CONFESSIONES Latini adpellabant, tumbas nempe aut ædiculas sepulcris vindicatorum Martyrum superstructas. Theodoret. *lib.* 1. *cap.* 7. ait ad Concilium Nicænum *turbam celebrem* MARTYRUM *confluxisse, qui stigmata Jesu Christi corpori suo impressa circumferebant*. Atqui *Confessores* isti non *Martyres* dici oportebant. Faustinus et Marcellinus *in Libellum Precum* scripto an. 383. S. Maximum Episc. Neap. promiscue nunc

Martyrem, nunc vero *Confessorem* adpellant, qui in Corsica insula exul decessit. Constantinus Imp. Martyres consummatos *Confessores* vocat in Orat. ad SS. ap. Euseb. *de Vita Const. lib. 2. cap.* 35. Adjungenda Epistola Joannis Antiocheni et Synodi Oriental. ad Cyrillum, quam servavit nobis Facundus Hermian. *lib.* VIII. „ *Quis autem deceptorum hominum de istis occasionem adsumens* CONFESSOREM *non vocaverit, veluti propter illum passum, qui passus est ea, quæ etiam illi qui in Ecclesia fulserunt passi sunt?* „ Sed et passim in Actis Martyrum, quæ tædet exscribere, videas Martyres coronatos titulo Confessorum significari. Atque huc facit Scriptor Vitæ Sanctæ Eusebiæ Amaticensis ap. Coppolam *de S. Eusanio M. p.* 67. „ *Omnis Martyr Confessor: non sic quoque Martyr omnis Confessor.* Propterea cum S. Maximus Martyr fuisset consummatus et vindicatus non se *Confessorem* proprie, sed Martyrem omnino dicere debuerat. Attamen quia *omnis Martyr Confessor*, immo etiam quia Constantini ætate, ut vidimus, distinctio illa antiqua inter Martyres, et Confessores vulgo evanuerat, CONFESSOREM se esse DEI nunciavit Julianæ. Quod non levi indicio est Acta hæc nostra tunc emissa, cum Martyres coronati sub nomine Confessorum comprehendebantur, sæculo scil. quarto.

(*mm*) §.38. *In agro Innocenti, ubi videritis Crucem ibi requirite.* Secure hic *Innocentii* agrum reposuimus in Prodromo §.19. Nam quid *ager innocens*? Anne ager non *pestibilis*? Pestibilem fundum reperi in Pandectis Justiniani, et cum fratre meo suavissimo Jo. Antonio interpretabar fundum coeno, stagnisque insaluberrimum; nam veteres Geoponici prædium comparantem, illud inspicere debere admonent, an

vicini *niteant*, an scil. habitu robusto ac bono succo valetudinem bonam præseferant, ut hinc de salubritate loci et aëris dexterum judicium* pronuncietur. Sed vetat nos de agro salubri cogitare Martyris ipsius propositum. Voluit ignotum indicare sepulcri locum. Fecit: agrum Innocentii indigitavit. Si *innocentem* nominasset, nihil adsequuta fuisset Juliana, cum ageretur de territorio Cumano, quod Straboni dicitur *lib.* v. τῆ θαλάσσης ἀνάχυσις *cænosa maris effusio*, et nota sint

.... Loca foeta palustribus undis
Litora Cumarum.

I quære in territorio urbis pestibili agrum innocentem. At modo succurrebat dubitatio an AGER INNOCENS propterea dictus fuerit ille, ubi S. Maximus prope supplicii locum primum fuerat reconditus, quoniam Christiani hac* nuncupatione Martyrum requietoria inter se consueverant designare. Suspicioni meæ facem præferebat Ammianus Marcellinus *lib.* XXVII. *cap.* 7. „ *Quorum memoriam* (Martyrum) *apud Mediolanum colentes nunc usque Christiani, locum ubi sepulti sunt*, AD INNOCENTES *adpellant* „ Liberum cuique judicium permittendum est: nisi quod potius ager ille ex Ammiani auctoritate vocari debuit AD INNOCENTEM, sive INNOCENTIS: quo fit ut in priori sententia adquiescam. Quæres denique, Crux illa quænam fuerit, cujus indicio sepulcrum S. Maximi agnoscendum proponitur. Diximus *Prodr.* §. 33. fuisse in laterculo vel tabella marmorea sculptam de more veterum Christianorum. Romæ Crux sola loculamento insculpta non plenam Martyrii probationem suggerit ubi agitur de corporibus ignotis quæ in Cœmeteriis quotidie effodiuntur; palmæ solum eisque

juncta vascula sanguine rubentia pro certissimis facti martyrii signis habentur ex decreto Sacræ Congregat. Rituum 10. *April.* 1668. Vide Alexandri Plovvierii *Apocris. in Epist.Eusebii Romani* (h.e. Mabillonii) *de Cultu SS. Ignotor.* §. 3. *p.* 19. §. 4. *p.* 28. Nihilominus Acta nostra signo Crucis etiam simplici majorem vindicant auctoritatem, qua sepultos in martyrio decessisse auguremur. Monogramma antiquius Constantino Martyrum emblema contendit Paulius *De S. Feliciano Part.* 1. §. 16. *seqq.* Crux verò etiam monogrammate vetustior, et sicubi muto in titulo incisa occurrit, facile Martyrem sepultum indicat. Namque et Prudentius non crucem, sed numerum adscriptum cernens in tumbis Cœmeterii S. Cyriacæ, Martyres conditos recogitavit. *περὶ στεφ. hymn.* XI. v. 9.

Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant NUMERUM.
Quanta virum iaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Relliquias memini me didicisse hominum,
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Ut pote quos propriæ iunxit amicitiæ.

Quod si numerus simpliciter titulo adpositus Martyres indicat, magis multo indicat CRUCIS TROPÆUM.

(*nn*) §. 39. Cumana omnis civitas ad inveniendum S. Maximi Corpus exivit psallens, et faculas habens in manibus. Celebratur fossio. Corpus intactum et niveum Sancti Martyris repertum, quod aromatibus conditum est. Similis narratio in Actis S. Restitutæ §. 15. *edente Jacobo Castellio an.* 1742. „ *Cumque* (Lucina post visum) *expergefacta fuisset .... accessit ad locum sibi demonstratum, invenitque intra naviculam*

Sanctæ Virginis Corpus NIVEO FVLGORE CORVSCANS. *Gavisa itaque tanto munere dignis aromatibus illud condire studuit, et advocans plebem Domini sanctam, cum hymnis et laudibus et magno honore sepeliverunt eam.*,, De aromatibus paucula disseremus §. sequenti. Nunc præstat populum hymnos concinentem (de quibus vide §. 33.), facùlis præterea instructum ad lætitiam significandam contemplari. Acta Procunsularia S. Cypriani §. 5. p. 190. ,, *Ejus* (B. Cypriani) *corpus propter gentilium curiositatem in proximo positum est. Inde per noctem sublatum* CVM CEREIS ET SCHOLACIBVS (i. e funalibus teste Cangio Glossar. h. v.) *ad* AREAS (i. Cœmeteria ex Tertullian. *ad Scapul. cap.* 3., et Actis S. Montani §. 15. *p.* 205.) *Macrobii Candidiani procuratoris quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas, cum voto et triumpho magno deductum est* ,, In Actis Græcis S. Bonifacii §. 16. *p.* 254. ,, *Aglais adsumptis secum clericis virisque religiosis supplicatione; et* CEREIS *et suffitibus* (μετὰ λιτῆς, καὶ κηρῶν; καὶ θυμιαμάτων) *processit obviam Sancto corpori* ,, Acta Latina sequioris ævi ,, *Et consurgens Aglaes confestim accepit secum Clericos, et Viros religiosos, et sic cum hymnis, et canticis spiritualibus et* OMNI VENERATIONE (scil. cereis, et suffitibus, quibus tota veneratio corporis sancti absolvitur) *obviavit sancto corpori.* ,, Martyres vero accensis luminibus honoratos fuisse docet Canon .... Concilii Eliberitani, et S. Hieronymi liber adversus Vigilantium. Denique Sacerdotes, et populus *fossionem* fecerunt. Hanc exercebant Fossores, qui et Arenarii, Fossarii, Copiatæ dicebantur in Ecclesia. Nec tamen Episcopi ac Sacerdotes hoc officio defungi noluerunt. Sic in inventione Corporum Sanctorum Gervasii et Protasii accidit, quæ inventio

ni Corporis S. Maximi simillima fuit; nam et per somnum revelatus fuit locus S. Ambrosio, teste S. Augustino *de Civ. Dei lib.* 22. *cap.* 8., et odorem exhalarunt reliquiæ suavissimum, et incorruptæ deprehendebantur. De eadem inventione ipse Ambrosius, (sive Auctor alius antiquus) *Epist.* 53. „ *Primus ego terræ fossor accessi: ceteri Episcopi prosequuti sunt* „

(oo) §.40. Cumani Sacerdotes, S. Juliana Ascetria, et populares Corpus S. Maximi aromatibus condierunt. Sane an. 1207. odorem suavissimum exhalabat. Vide *Prodr.* §. 44. Mores antiquos Hagiographus depingit Christianorum. Tertullian. *Apolog. cap.* 42. „ *Sciant Sabæi pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis* „ Non abludit gentilis obtrectatio apud Minut. Felicem *Octav. cap.* 12. „ *Reservatis unguenta funeribus* „ Flavius Corippus *de Laud. Justini lib.* 3.

Centum aliæ species, unguentaque mira feruntur
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Ado Martyrologus *die* 8. *Aug. de SS.* Cyriaco et Sociis „ *Lucina matrona Christianissima Corpora Sanctorum condivit aromatibus et linteaminibus* „ De S. Abiba Edesseno Acta *ap. Sur. tom.* 6. „ *Ii qui ad eum attinebant pretioso linteo involutum et unguentis delibutum, cum psalmos et hymnos, uti par erat, cecinissent, prope Samonam et Curium Christi Martyres deposuerunt* „ De S. Hippolyto Prudentius *hymn.* XI. *v.* 194. *Oscula perspicuo figunt impressa metallo*: (argenteæ capsæ) *Balsama defundunt: fletibus ora rigant.* De SS. Ptolemæo et Romano Acta M. S. Nepetina apud Ferrar. 25. *Augusti p.* 537. „ *Quorum corpora Savinilla Deo amabilis femina aromatibus condita in crypta sepelienda curavit* „ De S. Euplio Acta §. 3. *p.* 362. „ *Sublatum*

est postea corpus ejus a Christianis, et conditum aromatibus sepultum est „ Idem dicitur in M. S. Colbertino *p. 363. §. 2.* „ *Repositum est corpus ejus in loco venerabili conditum aromatibus* „ In Pass. S. Bonifacii §. 15. *p.* 254. „ *Ungentes illud* (Corpus) *aromatibus, et involventes linteaminibus pretiosis, posuerunt in una de basternis* „ Ipsemet Bonifacius ad comparandas reliquias Martyrum missus *accepit unguenta diversa ad honorem Sanctorum* „ *ibid.* §. 3. *p.* 250.; Græce est : μῦρα διάφορα εἰς τιμὴν τῶν ἁγίων μαρτύρων. Vide etiam quæ de Corporum Sanctorum conditura illevimus hic superius §. 22. Atque huc referri poterit mirus odor in reliquiarum effossionibus diffluens. Non tamen pugnarem si in effossionibus miraculo detur locus. Cum pati nolim sophistarum dicteria, certissimis monumentis firmabo Deum Opt. Max. Sanctos suos etiam odoris suavissimi signo indicasse. Prudentius de S. Laurentio legitime cocto canens περὶ στεφ. *hymn.* 2. *v.* 388.

Quin ipsa odoris qualitas
Adusta quam reddit cutis,
His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
Variatus aura, aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.

Passio S. Polycarpi §. 13. *p.* 31. „ *Odor etiam thuris aut myrrhæ, aut pretiosi alicujus unguenti tractum nidorem totius fugabat incendii* „ (ubi mallem legas „ *tætrum odorem* „) In Actis Græcis §. 15. *p.* 37. „ Καὶ γὰρ εὐωδίας τοσαύτης ἀντελαβόμεθα, ὡς λιβανωτοῦ πνέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τιμίων ἀρωμάτων „ *Tantam quippe fragrantiam odorabamur, ac si thus aut aliud quoddam pretiosorum aromatum oluisset* „ *Epist. Eccl.*

Viennensis §. 10. *p.* 56. *apud Ruin.* „ *Suavem Christi odorem spirantes* (Martyres) , *ita ut nonnulli terreno eos unguento delibutos putarent* „.

§.41. His in antecessum disputatis tabellam adfigendam curabo , in qua id omne pateat , quod vindicat nostrorum Actorum venerandam antiquitatem . Atque ut nihil dicam de palmario argumento , quod ex historia S. Baulæ infantuli desumpsimus §. 18. tam loquutiones ætati Constantinianæ familiares (§. 1. 4. 7. 8. 16. 21. 25. 27. 31. 36. 37.) quam ritus omnes et consuetudines in persecutione Christianorum ethnicis propriæ (§. 3. 9. 10. 11. 15. 16. 17. 19. 22. 23. 24. 29. 30. 31. 32.) : immo etiam non minus res Martyribus evenire solitæ (§. 8. 12. 26. 28. 33. 34.) , quam vetusti Christianorum mores (§. 13. 14. 35. 38. 39. 40.) , denique et characteres chronici expressi luculenter (§. 2. 5. 6. 20.) , summam Actis Sancti Maximi fidem undecumque stabiliunt . Quibus si adiunganrur probationes aliæ in Prodromo adductæ , non minus quinquaginta conficientur indicia , immo demonstrationes , quantum hac in re licet , evidentissimæ pro sinceritate Historiæ Cumanæ . Hisque persuasus in fronte Opusculi nostri ACTA SINCERA me daturum spopondi . Omnia hæc , meque ipsum lubentissime judicio S. R. Ecclesiæ Catholicæ submitto .

S. BASILIUS MAGNUS HOMILIA XIX.

NOSTRI TANTUM PROFECTUS CAUSSA SIT SATIS MARTYRUM CELEBRARE MEMORIAM . NON ENIM NOSTRIS INDIGENT LAUDIBUS ORNARI SED NOS IPSORUM VITAE HISTORIAE COMMEMORATIONE ET IMITATIONIS GRATIA INDIGEMUS .

LAUS DEO ; B. VIRG., B. MAX. , ET B. JULIANAE .

MONITUM.

Dum Opusculum prelo subiiceretur in Codicem celeberrimum incidi, qui, in Corsiniana Bibliotheca asservatur *n.* 777. cujus quidem libri eximiam præstantiam laudavit Mazochius *De SS. Episc. p.* 328. Sæculo XIII. labenti adscribens. Aperui, et en Acta Passionis S. Maximi occurrunt illa scilicet Langobardica a nobis appellata; quod ea Langobardicis characteribus exarata viderint Capaccius, et Caracciolus. Opera itaque viri amicissimi et omnigena eruditione referti Lucæ Legher Romani Sacerdotis (cum nos dietim Verbum Dei nunciare debebamus) Historiam illam ex Corsiniano Codice accurate describendam, eamque heic edendam curavi, ut quæ olim conjecturis adstruxeram, nunc oculo judice confirmentur. Bibliothecam etiam Vaticanam, et Vallicellianam invisere non omisi; ac in priore nihil pro S. Maximo Cumano inventum, in altera vero in duobus Codicibus, quos magna humanitate Cl. P. *Agostini* nobis aperuit illa ipsa S. Maximi Historia, quam ex Codice Corsiniano dabimus, reperta; ut de Casanatensi Codice sileam, in quo uno usque ad mediam Sect. IX. historia ipsa a nobis edita, per Lectiones dissecta exhibetur. Codex quidem ille Corsinianus Sæculo XIII. jure meritoque a Mazochio adscribitur, Casanatensis XIV. scriptus est qui S. P. Dominici festum diem agnoscit, at plane hic cum Actis Cumanis consensu miro decurrens, eorumdem sinceritati non leve testimonium facit. Adscripsimus, sicubi res postulavit, Casanatenses varietates. Vallicellianus unus Langobardicis etiam literis ut et Corsinianus, conscriptus; alterum veso Sæc. XI. exaratum

asserit Monitum in ejus fronte appositum. Si ita igitur se se res habet, jam non Sæc. XIII. acta isthæc obesiora erunt tribuenda, sicut post Caracciolum conjeceram, et amplius de illorum auctore deliberandum; illud certum, ipsum nonnisi post extructam Cumis S. Maximi Basilicam vixisse, cum Agiographus noster Cumanus de Basilica tantum extramurana loquatur. Jam vero cum de Crucis prodigio quod Cumanis apparuerit B. Maximi corpus quærentibus sileant omnino Acta quæ mox dabimus, illudque Caracciolus prædicet, profecto Sæc. XIII. alia ex his Corsiniano et duobus Vallicellianis corruptiora deinde exorta sunt quæ Caracciolus habuit neque edidit, utut idem habeant cum iis principium, et finem. Interim ex his nuper visis Codicibus liquet non inanem fuisse conjecturam nostram *Prodr.* §. 31., ubi variasse Lectiones quoad diem S. Maximi triumphalem dicebamus, et III. Kalendas Octobris, et XIV. Kal. Novembres fuisse perperam scriptum, ubi IV. Kal. Nov. oportuerat signari. Nam revera *Tertio Kalend. Octubris* habet Codex Corsinianus, et Vallicelliani emortualem fortissimi Athcletæ diem XIV. Kal. Novemb. aduotarunt. Illud etiam moneo, quod et sæpiuscule dixi, in Actis nostris Cumanis aliqua reperiri quæ ab amanuenibus addita liquido apparent. Verum ista Historiæ sinceritatem non tollunt. Nunc jam gaudeas, Lector Benevole, de tectis noviter thesauris. Plumbeis, fateor, abundant nummis sed aurea non desunt. Saltem id consequimur commodi conlatis Actis, nostra esse simpliciora, primigenia, atque omnino sincera. Habemus compluscula alia ex Codicibus MSS. prelo destinata, quæ ad Acta Sanctorum illustranda faciunt. Rursus Viros doctos depre-

cor ut ad hanc Provinciam, in qua filus Historiæ Ecclesiasticæ latet, serio se convertant. Societates literarias ubique videas fruticare, ut scilicet epigramma, distichon, næniæ recitentur. Regnante jam Christo, eiusque Vicario PIO VII. Catholicos Viros rogo quæsoque, ut mecum sub auspiciis Pontificalibus hunc cœtum literarium ordiantur. I. Quæcumque pertinent Monumenta Vetera ad Rem Christianam illustrandam, ex membranis, lapidibus, metallis corrasa, quotannis unico Volumine comprehensa edentur hoc .tit. MONUMENTA VETERA SANCTÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ ROM. Cuivis monumento notitia præfigetur Viri docti, qui illud ministraverit, vel illustraverit. Cum primis Acta Martyrum desiderantur, Societate Bollandiana, unde tot bona proveniebant, exstincta. Conlata symbola hujusmodi Bollandianorum herculeos labores non æquabit, at saltem sequentibus muniet paratissimam viam. Codices bellis, et calamitatibus intereunt. Videmur ad Gothorum ætatem reversi. Cimelia servanda sunt. At quænam pretiosissima? Christiana, opinor. Nostra Societate præsentius huic rei nullum remedium. II. Qui se volet socium adscribi, monumentum mittat edendum, Orcoque invidendum. Nos Neapoli morabimur ad ædem S. Petri Martyris, ubi Primariam Cathedram occupamus S. Theologiæ in Provincia Regni Ord. Prædic. III. Hunc novum Literarium ausum nuncupamus patrocinio fovendum PII PP. VII. implorantes favorem Amplissimi Cardinalis FLANGINII. Vale, Benevole Lector et conatibus fave.

Romæ. Ex ædibus S. M. Sup. Minervam Kal. April.

ACTA SANCTI MAXIMI

Ex Cod. Corsiniano 777. qui passiones et vitas Sanctorum continet fol. 113. tergo.

III. Kal. Novembris Natale Sancti Maximi Levitæ, et Martyris.

INCIPIT VITA ET PASSIO EJUS.

Diocletianus et maximianus imperatores tyrannidis suæ quo contra christianos ebullirent tempus invenientes, illos satellites in cunctis reipublicæ dignitatibus præfecerunt, qui eos non tantum sevicia, sed et novi cruciatus adinventionibus adequarent. Proh dolor! non illos fefellit hujuscemodi cogitatus. Quidam antonius tocius calliditatis vir, ubi prefectus urbis est factus, tanta inhumanitate obduruit, ut circa domos, circa lymphas, et ut breviter dicam circa omnem locum, ubi alicujus negociacionis mercimonium esse poterat, simulacra erigeret, quatenus omnes qui illic accederent, non emerent vel venderent aliquid, nisi prius sacrificassent. Et hoc non solum in romulea urbe factitabatur, sed eciam per universum mundum transmissi sunt cruentissimi homines qui omne genus humanum tanto compellerent sacrilegio maculari. Ob id ergo et cumas directus est quidam nomine favianus obstinatissimus christiani nominis inimicus; qui cum venisset et solium sue jussisset preparari demencie, continuo ad se universum populum voce preconis fecit acciri, moxque illis velut ad novum presidem confluentibus, tribu-

nal ascendit, et facto silencio sic orsus est loqui. Audiat populus cunctus, audiat cetus omnis, audiat simul parvus et magnus, quia invictissimi imperatores, vivificandi et mortificandi potestatem mihi tribuerunt, ita dumtaxat ut illum qui sacrificare contempserit, diversis interficiam pænis; illum vero qui decretis ipsorum libenter obtemperaverit, magnis ditem diviciis, magnisque sublimem honoribus. Accedat ergo unusquisque et tura offerat, ne invitus cogatur perficere, quod sponte recusat. Dic michi preses, dic insanissime judex, qua ratione miseros compellitis homines, ut creatorem suum deserentes, inanibus subiciantur symulacris, quæ nec moventur, nec senciunt, nec discernunt?

Si enim ut sapientes talia vos vestrique Imperatores fieri decrevistis, utique ille est verus sapiens, qui vera discernit a falsis, justa ab injustis, bona a malis. Si documenta philosoforum vestrorum estis inducti (leg. *edocti*), debuistis eos non solum in hanc partem sequi, que secundum plurimas eorum asserciones, seduccionis est plena, sed eciam totum in dogma. Nam illi evidenti veritate dixerunt, quod saltem nec edentulus sit aliquis lapis, vos autem quare divinitatem illi attribuitis, et pro ejus cultura vesano certatis annisu. Extendite miserrimi manum; et palpando discite saxum esse, quod vivendo (leg. *videndo*) non creditis, quia in hoc tantum distatis ab eis, quod manus movetis et pedes. in aliis vero similes illis per omnia estis, secundum illud quod scriptum est: Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Et ideo non ut sapientes, sed sicut insipientes adorare cogitis eos, quibus vos aliquo modo meliores æstis. Audiens itaque miserabile vulgus tantas

iniquissimi presidis comminaciones, vehementer extimuit, et adhuc eo residente, certatim ritu paganissimo, unusquisque libare studebat. Quod ubi vir domini maximus ejusdem ecclesiæ diaconus comperit, non galea, nec ferro, sed dominice crucis signaculo totum se muniens, pro castris christi fortissimus preliator advenit, et ingressus ante judicem ipsum, mente devotus, fide promptissimus ait: Fabiane preses, evangelii te alloquor santencia dicentis, qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Tu ergo quare te malo tuo contra creatorem tuum erigens, hos simplices homines imperas adorare ydola manu facta, que nullo modo possunt suos liberare cultores? necesse est enim ut veniant scandala, sed ve tibi per quem scandalum venit.

Audi ergo obsecro te verba humilitatis mee, et cessa ab hac stulticia, ne tremende vindicte incurras judicium, quoniam melius tibi fuerat si natus non fuisses, quam pro creatore creaturas, omnem hanc ignaram multitudinem faceres adorare. Mox preses nimio succensus furore infit: Cujus te patrocinio muniri existimas, ut ita loqui presumas? nisi enim cito cicius patefeceris cujus condicionis sis, incunctanter experieris, quod numquam optasti. Ad hæc domini famulus constanter respondit: Christianum me profiteor. Si de patrocinio queris, celestem habeo autorem, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Cui preses;

Numquid ait non audisti, quia hanc provinciam pii imperatores mee tradiderunt industrie; ut eos qui spernere presumpserint orgia deorum, deversis tra-

dam suppliciis? Et sanctus, audivi inquid et derisi. nam sic illi errant, sicut et vos erratis. Tunc judex intercidens sermonem ait. Si audisti, consule tibi tueque commoditati, et venerare deos immortales, ne pro christo tuo exiciabiliter lanieris. Mox agonitheta dei, hanc prorupit pectore vocem: Obmutesce infelix, ne aures fidei mee tuis polluantur sermonibus. qui non metuis dicere, ut ego dominum hiesum christum filium dei omnipotentis, qui michi vivere et mori lucrum est denegem, et adorem facturam manuum hominum. Dixit; et preses irarum face nimis succensus, imperat lictoribus, ut tamdiu cederent eum plumbatis, quousque spiritum exhalaret. Mira dei potencia! tanta (leg. *tantam*) enim devotissimo suo diacono, toleranciam inter ipsa flagella prestitit, ut plus tabescerent vires cedencium, quam sancti maximi corpus, adeo inquam, ut ipsi compellerentur ministri clamare et dicere. Numquid non cernis domine preses, quod magis nos lassescimus quam homo iste, et mirum in modum, quanto plus corpus ejus vapulat, tanto ille amplius hilarescit.

Considerans itaque scelestissimus judex satellitum verba, jussit eum nervo constringi, usquequo ipse ex aliis repedaret civitatibus, ad quas more judicum, lustrandi gratia properabat.

Ecce nunc tu fabiane lucris invitatus terrenis ad alias properas urbes, martyrem nostrum quare mancipasti ergastulo? numquid ut sancte predicacioni nequiret insistere? an ut carceralibus defatigaretur oppressionibus? Si enim hoc predicta intencione fieri voluisti, audi clamantem apostolum, quod nullo modo verbum dei sit alligatum. Sin autem (*Sequiori manu corrigitur hic locus, et pro* Sin autem *ponitur*, An

vero, *quod probe fit.*) succumbere martyrem putas quibuslibet tuis irrogacionibus? cui semper optabile fuit, pro christo perpeti omnia penarum genera, et nebulam quandam corporee obscuritatis penitus a se depellere, et esse velud aurum quod quanto plus igneo purgatur examine, tanto magis flavescit. Profecto itaque preside, continuo apparitores sanctum maximum costodie puplice tradiderunt, et secundum ipsius mandatum, nec potum nec cibum illi prebebant. Vir autem domini quem panis ille celestis refocilabat, nocte dieque orationibus vacans, satagebat omnes christo lucrari, quot quot variis pro causis, eodem addicti carcere trudebantur. Cumque decem per dies talia toto mentis optaret affectu, et ob id consequenti nocte sollemnes funderet preces, repente angelus domini januas aperuit carceris, et omne illud habitaculum splendore suo replevit. Ad cujus adventum perterriti valde cuncti reclusi, facie tenus ceciderunt, et suimet, cum vidissent vincula sponte soluta, beato maximo unanimiter clamabant: Succurre nobis famule dei, ne pereamus pro vanitate quam actenus ignoranter coluimus; certo enim cercius credimus nunc, quod ipse sit verus deus qui te talem possidet famulum.

Mox levita doctissimus expansis ad celum manibus voce magna dixit: Gratias tibi ago domine Jesu Christe qui me servum tuum secundum veridicam benignitatis tue sponsionem dignatus es exaudire, et adimplere vota desiderii mei; provide ergo domine nunc solita pietate sacerdotem qui possit his omnibus desideratam prebere penitenciam, et a suis abluere culpis; tibi enim domine omnia possibilia sunt. Hec sancto maximo orante, clementissimus dominus apparuit

maxencio presuli latitanti ob imminentes ejusdem presidis infestaciones, sicut et ceteri sacerdotes, eique dixit; Maxenti famule meus quia certissime te mercedis manet remuneracio, perge velociter, perge fidenter ad carcerem, quoniam maximus devotissimus servus meus, ferme ducentos homines predicacione sua mihi lucratus est, qui toto desiderant baptizari affectu. At fortis antistes nihil cunctatus, e vestigio properavit ad carcerem, et assistens pro foribus exclamavit: En ego sum christi sacerdos transmissus ab eo; si quis vult baptismi consequi gratiam, incunctanter accedat. Mox illis ad hanc vocem tota confluentibus aviditate, sanctus maxencius et maximus locum dantes ajebant: Bone hiesu munera hæc tua sunt, tua prorsus domine, qui neminem vis perire, sed omnes salvare. Dehinc cunctum officium christiane tradicionis rite celebrantes, singillatim omnes in trinitatis nomine baptizantur. Quibus usque ad unum diligentissime facto sancto baptismate renovatis, prephatus episcopus ad latebras pristine occultacionis secessit.

Sed hoc fratres nemini movere scandalum, nemini sit in singultum (f. leg. *in simulamentum*) fidei, quod pontifex iste non permanserit cum eis, ad quos regenerandos celesti fuit exhortacione directus. Si enim dominus noster hiesus christus deus verus et omnipotens qui utique omnium rerum creator est, sciens figmentum nostre condicionis, ut omnibus famulis suis exempla preberet, non solum persecutores declinare, verum et discipulos ita dignatus est instituere dicens, cum persecuti vos fuerint in una civitate fugite in aliam, temere reprehenditur sacratissimus iste maxencius presul. Quid ergo? Suadendum est christianis ut terga suis dent persecutoribus, ut pro fide sua non viriliter dimicent, non

usque ad mortem consistant? Absit. Sed fratres mei, quantum cavende sunt insidie, tantum si acciderint, acriter est agonizandum. Scimus enim quia non est in homine via ejus, sed a domino egressus illius diriguntur; et ideo semper circumspicere nos omni cautela debemus, ut de deo totum, et nihil de nobis presumamus. Legimus inquam sagacissimum danihelem, ob legalia decreta persarum atque medorum, tribus in die vicibus domum suam ingredientem, et ita genu curvato dominum exorantem. Creditisne virum desideriorum aliquam mundane potestatis legem curasse? creditisne illum quem non inedia, non carcer, non hora leonum fregerant, quorumlibet emulorum terrore perculsum? Quid ergo in hoc facto? quid nisi datur intelligi, quod quantum in homine est, semper declinet insidias? Hinc etenim beatissimus paulus cum vellet arete regis comprehensionem evadere, funem, sportam, murumque quesivit, Petro autem apostolorum principi, ut manus herodis et expectacionem hisraelitice plebis eluderet, angelus aperuit, custodes terruit, vincula dissolvit, et ut expediciųs sequeretur, calciare precepit. Et quidem, numquid petrus et paulus non erant mori parati pro christo? numquid dominice passionis calicem bibere recusabant? Et quomodo tota illorum predicacio et incessus et habitus, necnon et corporalis abieccio, nichil aliut desiderabat, nisi anhelanter dissolvi et esse cum christo multo melius? Et revera, quando herodis contra tyrannidem fortiter restiterunt, ad hujuscemodi devocionis effectum, certo cercius pertinxerunt. Sed quia fratres superius non tantum ex his breviter, sed et de prelati episcopi secessione, clandestine respondere curavimus, sufficiat caritati vestre, et christiane credu-

litati. Nunc revertamur ad narraciones quas reliquimus.

Regredienti itaque Fabiano, cum nunciatum fuisset cunctos retrusos credidisse in dominum hiesum christum, cepit sevire animis, et ne sedicio oriretur in populo, relictis ceteris, solum sibi fortissimum christi levitam assistere jussit, cui et furibundus ait: Nihilne tractasti de salute tua maxime, ut evadas tot tibi preparata tormenta? Ad quem sanctus: Tractavi inquid; et hec est mea salus, ut christum semper adorem, et te tuaque symulacra contempnam. Tunc censor inhorruit, et positis coram sancto carbonibus infit: Eja age, unam e duobus elige opcionem; aut tura in his jace, aut nudis super eos ambula plantis. Mox agonitheta christi vexillo se muniens crucis, super ferventes cepit incedere prunas, presidemque contra insultare et dicere: Ecce ego in nomine domini mei hiesu christi ita innocuus sum ac si super roseos gradiar flores: tu si audes in nomine iobis dei tui saltem super his manum impone, si potest liberet te deus tuus ab eorum adustione. Tymefactus ylico Fabianus diu multumque ostipuit, tandemque infit: artificium est istud magice artis, sed nichil tibi proderit inter tot ac talia que tibi sumus parati nisi sacrificaveris irrogare tormenta (*manu sequiori locus hic restitui voluit*, paravimus nisi sacrificaveris confutare tormenta: *inepte prorsus*.) Cui fortis adleta dei respondit: O ducem necessitatis! O consulem cecitatis! neme astruis scire maleficia, qui pocius quam tu illa destestor? miser quare non perpendis virtutem christi que operata est in me? pro cujus amore non tantum diversa penarum genera, sed eciam mortem libenter amplector. His

consul auditis, dixit ministris: Eja agite, suspendatur eculeo, et membratim totus scindatur, quatinus articulum maleficii hujus exinaniatur.

Dic fabiane, dic obstinatissime consul, ubi te tua impellit vesania? si martyr noster non flagellis succubuit, non est inedia maceratus, non adustus incendio, quomodo nunc estimas illum nichil posse in eo per quem illa omnia superavit? Si enim ut dicis maleficiorum et non divine virtutis sunt tante operaciones, experiantur illud incantatores tui, qui sese hujuscemodi valde implicant, qui die noctuque tanto magisterio occupantur: adhibe saltem illis parvissimam penam, et ipsi tibi insinuent quid magia possit. Sin autem applica eculeum, suspende martirem, accedant ministri, hortentur ad laniandum, insurgant, insistant, ut lassescentes confiteantur nihil se posse adversus eum quem christus sua virtute corroboravit, doctrinis instruxit, gratia delinivit: tuque ipse perpendas evidenter, quia quanto plus aurum igne purgatur, eo plus hilarescit.

Beatissimus itaque martir cui tormenta cumulabantur ad gloriam, sic inter ipsas laniancium manus oravit dicens: Domine hiesu christe deus eterne, succurre michi famulo tuo, et tua me nunc omnipotens proteccione conforta, ut inmarcescibile tue promissionis numquam defrauder corona. Mirabilis clemencia salvatoris! illo namque supplicante, apparuit ei dominus, virtus omnium et ait: Constans esto maxime famule meus, quia ego sum tecum in omnibus, et liberabo te ab inimicis tuis, et desiderii tui vota complebo. Dixit; et defatigati ministri, se torqueri magis, quam martirem exclamabant. Tunc scelestissimus consul, stridens dentibus

dixit ad eum: Ecce eculeum confregisti, milites superasti, carbones extinxisti, quamdiu nos illudis magicis artibus? Ad quem dei famulus multa compassione devictus ait: Dux ingrate, perverse conlector, si te ita totum satanas circumvallavit, ut non me nisi maleficum cogites, cum maleficus utique possit levibus interire tormentis, jube afferri puerulum qui loqui nesciat, et ipse tibi dicat cujus hec in me virtus operetur, et tunc saltem resipiscens cognoscas que sit sectanda religio.

Nulla in medium mora, circumeunt ministri per plateas, et reperta haud (reor) sine nutu divino muliere cum filio parvissimo, extorserunt eum ex ulnis ejus et festinanter presidi attulerunt; quos mater ut pote super viscera condolens, flens et ejulans ad pretorium est consecuta. At dux impudens ethnica hilaritate conspersus exclamavit; en inquiens maxime puerulus est advectus, imple nunc pollicitacionem tuam. Mox dei famulus mente devotus, fide promptissimus elevatis sursum oculis hanc fudit oracionem. Deus eterne qui ante omnia secula veram ex te ineffabiliter genuisti sapienciam dominum scilicet nostrum hiesum christum, quem in fine temporum pro nostra salute per virginem in hunc mundum misisti, per quem eciam ex nichilo cuncta creasti, per eumdem te nunc deprecor dilectissimum atque coeternum tibi filium, ut non attendas perfidiam istorum qui te ignorant, sed ille qui aperuit os mutorum, qui linguas infantium fecit disertas, aperiat os pueri hujus ad declarandam veracissimam tue magnitudinis fidem, quatenus cognoscant omnes quia tu es solus deus benedictus in secula.

Mox mirum in modum, vix hec verba martir

ediderat, et infans sic est ad presidem orsus: Audi preses, audite et vos omnes circumstantes ministri ejus, et intelligite, quia cum ego hujuscemodi etatis trium videlicet mensium, ut nullum eruditorem, nullamque doctrinam, immo eciam nec alicujus saltem sermones animadvertere possim; constat ex ore meo nichil aliud nisi summe religionis prodire veritatem, quam actenus vobis devotissimus dei famulus sanctus maximus patefacere non cessavit. Sed quia vos malo vestro contra creatorem vestrum crecti estis, et ei fribole resultare non formidastis; idcirco misericors et miserator dominus, paciens et multum misericors, disertissime loqui meam fecit infanciam, ut contester ego vos hodie, quatenus ab his vanis simulacris revertamini ad deum vivum et verum, qui]verbo creavit omnia simul, qui cuncta dispensat et ordinat prout vult, et quando vult, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, qui pluit super justos et injustos, quique eciam pro nobis indignis, unigenitum filium suum dominum nostrum jesum christum incarnari, flagellari, crucifigi, mori passus est, ut illo resurgente, nos de morte perpetua liberaret. Equum ne ergo est homines irracionabiles deserere creatorem suum qui tot illis bona prestitit,et manuum suarum adorare facturam) Equum ne inquam est capacem intellegencie, surdis, et insensatis dicere: deus meus es tu, libera me? Potestne miseri liberare aliquem ille qui ante paululum ex aliquo metallo factus, juncturis compactus, clavis ne caderet et, malleis est confixus? Resipiscite, et vestro vos creatori qui est in celis qui vult omnes salvos facere, et in agnicionem vecitatis venire, digna cum penitudine redite, ut non pereatis in eternum cum his quos frustra deos putatis.

Ad hujus quippe infantis professionem, consul adeo larvalibus stimulabatur furiis, ut claudere loquentis os, non tantum manu, sed et conaretur et flagris. Cui dum puer diceret, crudelis, vas diaboli; quare me cedis? numquid ex me qui sum trium mensium, et non ex dei dono locutus sum hec omnia? Statim stupor et murmur ingens, omnium spectancium ora complevit. At sceleratus ille precavens ne ad sedicionem populus converteretur, tenerrimum puerum articulatim retortum fedissime interfecit, quem benignissima raptim sustulit mater, et letabunda secum revectans ajebat: Gratias tibi domine jesu christe refero, qui tenellum filium meum, fortissimum tibi consecrasti agonithetam. Osculor nunc innocentem victimam, quam credo in ara tue laudis suavissime refraglantem; amplector inmaculatam hostiam, quam manus inter mactancium fide sum comitata, sermonibus adornata. Tu enim domine qui es innocencium vita, martirum suffragator, tu nosti qualem intrinsecus habebam affectum, cum lactis michi peteret alimentum. Rogo ergo te piissime, ut eo jam pro me utpote pro matre suffragante, peccatorum meorum maculas tergas, culpas abluas et noxia queque relinquas, quatenus te largiente contubernio ejus numquam defrauder.

Scio inquam domine quia in digna sum tanto collegio, sed hujus illud meritis adipisci desidero, quem pro tuo nomine pacientem, constantissima prestolabar. Dixit hec vadens, et martirem christi diligencius collocavit.

En sane fratres Karissimi ubi nostra succumbit pusillitas; en prorsus unde loqui caritati vestre nihil digne possum. Quis enim? vel quid? numquid hu-

manus sermo linguave fecundissima, sensusque carnalis de dei carismatibus, de divinis magnificenciis, de supernis largitatibus, audet disputare, presumit disserere, et non pocius ad tantam magnitudinem, tantamque tremescere potestatem? O virtus immensa! O majestas excelsa! quam archangeli reverentur, angeli venerantur, spiritusque celestes mirantur, et ut planius dicam, omnis supplex pavescit, et pavens omni genu creatura tremiscit. Superest ergo fratres, ut cedat humana temeritas, fragilitatis comprimatur audacia, ubi divinitas suam clementer exerit operacionem. Mutatur nimirum, mutatur si dici fas est rerum natura, ubi nature conditor naturalem vult transferre condicionem. Quid enim? numquid os pecuale cum voluit, non in humanas mutavit loquelas? numquid ex genuina silice aquatiles non largivit meatus? Numquid amaras aquas, non in dulcedinem per lignum inditum vertit? Si ita est, immo quia ita est, quoniam cum vult mirabiliter rerum mutat et transmutat naturam, nos ad narracionis revertentes articulum in his que nostram excedunt mensuram, ammirartantam et venerari debemus dei potenciam, quam aliquo modo exinde disputare.

Fabianus igitur preses videns omnem populum in stuporem et summurmuracionem conversum, et prei cavens ne sedicionis oriretur tumultus, jussit agonithetam christi fortissimum suspendi a pedibus, et ita capite versum dimitti, quousque spiritum exhalaret. At robustissimus christiane fidei propugnator, gratias deo referens agebat (*pro* ajebat) ad consulem. Frustra conquereris preses, frustra bacharis (i. e. baccaris) per varia ille qui puerulum ipsum de te tuaque triumphare fecit vesania, qui coronis illum redimivit eter-

nis, ipse michi prebet constanciam, ut te tuaque tormenta pro nichilo ducens, in ejus viriliter confessione permaneam. Dixit; et suspensus ut jusserat consul, cepit psallere: de ore leonis libera me domine, et a cornibus unicornium, ut enarrem nomen tuum fratribus meis. Tunc quidam milites ferme decem et octo, venerunt ut martiris in eculeo viderent constanciam, et illi solita insultarent lascivia, qui repente divino nutu perculsi, cum martirem deo suo laudes referre audissent, clamare ceperunt, ora pro nobis famule dei, ut illuminentur corda nostra, quia et nos in eum volumus credere, in quem tu credis dominum hiesum christum. Mox piissimus dei famulus ab eisdem militibus dissolutus, cathecizavit eos, et cum omni alacritate sacramentum illis sancte trinitatis prebuit. Quibus ad unum rite baptizatis, nunciatum est fabiano presidi, et addito (*f. melius* audito) quod essent cum beato maximo fortiter ovanterque mori parati, statim ingemuit; et parasitis transmissis, jussit ut cum illis omnibus, qui dudum in ipso crediderant carcere, capite plecterentur, et corpora eorum in platea canibus avibusque consumenda dimitterentur. Milites autem cum audissent quod pro christi nomine neci essent deputati, ibant gaudentes, et quasi ad epulas ita ad supplicium propere festinabant. Qui cum ad locum venissent, et essent omnes una mentis constancia parati ad mortem, consequenter sese jugulo summittentes, alter alterum anticipare studebat.

Stupendum dictum! ubi omnes martiriali gladio sunt amputati, et ut articulatim consumerentur bestiis et volucribus sunt eorum cadavera derelicta, tanta ex eis odorum manabat flagrancia, ac si omnium aromatum condimenta illata fuissent. Et nimirum sic sic

sunt tuicione celesti protecta, ut nulla bestiola saltem illic accederet, aut quicquam ex eis contingere auderet. Post aliquot dies, christiani corpora eorum furtim surripientes, optimis in locis condere summa vigilancia studuerunt.

Dehinc fabianus preses tota sevicia contra dei martirem sanctum maximum insurgens, lampades ardentes lateribus ejus supponi precepit, et stridens dentibus agebat (*scil.* ajebat!) : Non vis sacrificare et imperatorio honore potiri? istis nunc cremare flammis, ut resipiscas et cognoscas quibus sis honoribus dignus. At sanctus maximus erectis ad celum oculis, fide devotus orabat : deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et dolosi super me apertum est. Hec autem eo orante, flamma ministris pocius quam dei famulo exhibebat incendium : ita quippe ut ex circumstantibus plurimi crederent in dominum hiesum christum. Quod ubi iudex insanus advertit, vario cogitacionum tumultu exestuans, sese ad pretorium contulit et martirem christi ad carcerem recipi jussit. Alia vero die sedens pro tribunali, sanctumque sibi presentari faciens, sereno vultu, ore jocundo, maxime, ait, Ecce derexerunt clementissimi augusti, ut honoribus et dignitatibus sublimeris eximiis, si decretis illorum optemperans, deos deasque venereris omnipotentes.

Mox robustissimus christi palestra constanter respondit : Honores tui tuorumque imperatorum, una cum ipsis sint in perdicionem, ego autem christum deum meum semper adoro, colo, veneror, atque magnifico, qui mihi clementer eternam largiri dignatur felicitatem, cui comparata omnia vestra munera, velut stercora reputantur. Nam sponsio tua et augu-

storum tuorum largicio, ad nihil aliud nisi ad iniquitatem, et perdicionem proclivissima manent, quatenus miseros et innocentes homines decipiendo, ad interitum animarum perducant, michi vero ludibria et inania esse nullo modo ambigas.

Tunc fabianus furiis omnibus actus, tamdiu illum flagellari precepit, quousque rivulos cruoris ejus largius videret manare per terram, ac tum ceu saciatus ait: Maxime nichil ad hec recogitas que tibi suavissima esse probantur? miser resipisce tandem; et venerare saltem deum asclepium cui nos omnes fateri convenit, quoniam ipse procul dubio ipse tibi corpus istud et animam prestitit, que tu ut insanus per varia tormenta perdere non erubescis. Ad hec domini famulus ita respondit: Estimas tu perdite consul, ut per has plagas michi penam et non fortitudinem irrogasses? attende inquam et vide quia per hec tormenta, quandam corporee crassitudinis nebulam corpori meo inherentem penitus a me excludis, et confirmas in me habitatorem spiritum sanctum per quem te tuosque tirannos, necnon et deos vestros contempno; et tociens de vobis triumphor, quociens mecum congredi non formidatis. Si enim oculos apertos habuisses, videras hanc mei cruoris effusionem, in testimonium fluere tue perdicionis, quando tu et imperatores tui simul et asclepius, non deus ut tu asseris, sed humuncio (*pro* homuncio) nefandissimus, tempore suo natus, tempore suo mortuus eterno damnemini incendio, ubi est fletus et stridor dencium.

Videns itaque obstinatissimus consul tantam sancti maximi constanciam, erigens illum a terra, talem dictavit sentenciam: maximum rebellem deorum, blasphematorem imperatorum, contemptorem pena-

rum, infantem per maleficia loqui facientem, milites ad fidem suam convertentem, capite plecti jubemus, et corpus ejus volucribus celi et bestiis terre devorandum relinqui ut nec in morte requiescat. Hac prolata sentencia, continuo milites acceperunt eum, et instanter foras civitatem ad duo ferme miliaria detulerunt, in locum scilicet qui vocabatur via caballaria; ubi cum fortissimus christi agonitheta psallendo pervenisset, et tantum populi vidisset occursum, pia miseracione condoluit, et flexis in oracione poplitibus, sic est dominum deprecatus: Domine domine inquid rex pie, rex clemens, cujus innumera constat misericordia, respice propicius ad oracionem meam, et exaudi me te nunc devotissime deprecantem, ut post hujus corporis mei deposicionem, omnium circumstancium corda illuminare digneris, quatenus resipiscant, et te creatorem suum cognoscant, qui es trinus in unitate, et unus in trinitate semper adorandus, et colendus, et super exaltandus ab omni creatura tua in secula seculorum

Cumque complesset oracionem et a spiculatore percussus fuisset; mira dei clemencia ilico velut ingens concrepavit tonitruum, et terremotus vehemens ita perculit universos, ut simul omnes et milites ipsi una clamarent voce. christus est deus, et non est alius preter ipsum, in quem nos ipsos tota jam fide credere profitemur. Mox summa cum diligencia martiris corpus eodem in loco condientes, veniam consequi postulabant, eo quod ignoranter ydola coluissent. Passus est autem beatissimus maximus, tercio Kalendas octubris, post cujus obitum quindecim ferme per annos christianorum infestacio mansit. Tum ubi pax est christi ecclesiis restituta, apparuit idem

martir cuidam religiosissime femine nomine juliane dicens ei: vade, meisque consacerdotibus dic, quare negligencia sua reliquerunt corpusculum meum illo in loco, ubi primitus conditum fuit? Numquid ego non sum ille maximus dei confessor et martir, qui pro christi nomine in hac urbe multa sum tormenta perpessus, et ad ultimum in agro illo innocenti decollatus et sepultus?

Mox illa velut ad hujusmodi sermones, vehementer expavit, et tamen sciscitata est dicens, quod erit signum loci illius quo sis perquirendus? At ille, licet ait notissimus jam sit locus ille crebris miraculorum coruscationibus, tamen ut evidencius declaretur, Dominice passionis crux indicium erit omnibus me inquirentibus. Dixit; et protinus ab oculis ejus abscessit. Mulier autem illa feminee impiger tarditatis, advolat, et talia nunciare perstudens, omnem urbem excivit in agrum. Confluente itaque populo, et universis inefabili tripudio gestientibus, clerici omnes et presbiteri quotquot persecucionis procellam evaserant affuerunt, et cernentes dominice crucis effigiem, sicut mulier illa predixerat, continuo humi prostrata, lacrimosis vocibus deo laudes et martiri ejus gratias referebant. Tum inde surgentes, et sub indicio vivifice crucis infodientes, reppererunt sancti martiris corpus ita recenti vigore solidum, et tota integrum habitudine, ac si illo in tempore passionis gladium pertulisset. Mirabilis quippe deus in sanctis suis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia! Nam ubi devotissimi sui famuli sepulchrum est reseratum, tanta divinitus illic sunt patrata miracula, ut ea nulla possit carnis exprimere lingua. Ibi enim ceci lumen, clodi gressum, paralitici restauracionem, et ut breviter

dicam, omnis eger, omnis que debilis pristinam consecuti sunt sospitatem. Istis et aliis quamplurimis exhilarati miraculis, sancti martiris reliquias cum ymnis et thimiamatibus concinnatisque luminariis in memoratam detulerunt urbem, et in locum ubi postea celebris est ad nomen ejus dicata ecclesia arom atibus condierunt. Regnante domino nostro hiesu christo, cui est cum patre et spiritu sancto, par gloria, unum imperium, equalis majestas, similisque potestas, per infinita secula seculorum. Amen.

„ Pag. 59. *Prodrom.* C. 3. §. 47. *Adde*

Jam rivi clausi erant, dum rescivi S. Maximum nostrum Juliani, quod Aversanæ Diœc. oppidum est, urbibus etiam frequentissimis non impar, nuper Sum. Rom. Pontifice indulgente, coli cœpisse, eo quod Julianum, eversis Cumis, cum Clerum Cumanum recepisset, in jura etiam Cumana successerit. Rescivi etiam a Julianæo eruditissimo Clero id postulari, ut in Sacris Officiis Lectiones II. Noct. Capaccianas a nobis memoratas legendi facultas a S. Rit. Congr. ipsis fiat, et mihi heic Romæ piam epistolam desiderii ipsorum tesseram videndi, datum, qui ex Actis nostris Lectiones accuratiores decerperem. Gaudeant modo licet Julianæi, ampla ipsis pro S. Maximo suo segete a nobis parata. Nos laborum erimus mercedem consecuti, si erga S. Maximum populi Christiani cultus, per ipsos magis magisque excitetur.

ACTA S. MAXIMI MART. CUMANI
EXPLICIUNT FELICITER
ROMÆ IN OFFICINA LIBRARIA SALOMONIANA
ANNO A V. P. MDCCC.
PONTIFICATVS SS. D. N. PII VII,
ANNO I.

ACTA S. MAXIMI MART. CUMANI

EXPLICIUNT FELICITER

ROMÆ IN OFFICINA LIBRARIA SALOMONIANA

ANNO A V. P. MDCCC.

PONTIFICATVS SS. D. N. PII VII.

ANNO I.